

Circa distinctionem secundam et tertiam, in quibus Magister ostendit trinitatem personarum divinarum cum unitate essentie ex Sacris Scripturis et ex creaturis. Quero utrum omnis fidelis cognoscens Deum esse trinum et unum cognoscat aliquod intelligibile, quod non cognoscit infidelis ignorans Deum esse trinum et unum. Quod sic, quia Deum esse trinum et unum est quoddam determinatum intelligibile obiective credibile. Hoc autem fidelis cognoscit et credit, et infidelis ignorat, igitur. Contra: illud intelligibile nec est creatura, nec Deus, quia infidelis, ignorans Deum esse trinum et unum, cognoscit Deum esse, ergo cognoscit intelligibile quod est Deus.

Prima conclusio. Intelligibile significabile complexe quod est Deum esse trinum et unum est simpliciter et formaliter hec res significabilis incomplexa que est Deus. Probatur Deum esse trinum et unum est Deum esse. Sed Deum esse est formaliter et identice ipse Deus. Probatur primo, illud est Deus quod est causa effectiva independenter omnis entitatis, et per creationem et a quo dependet et conservatur omnis creatura. Sed Deum esse est huiusmodi, igitur. Maior probatur, quia illa soli Deo conveniunt specialiter esse productivum per creationem. Patet per Augustinum, 3 De Trinitate 8 et libro 12 De civitate Dei, capitulo 24. Neque enim fas est ullius nature quemlibet minime Creatorem nisi Deum credere et dicere, et quia tale est omnipotens, igitur est Deus, aliter essent duo omnipotentes, et due cause prime totales. Et ita altera superflueret. Minor probatur, tum quia esse creature exigit Deum esse et indiget quod Deus sit, et quod conservetur a Deo. Sed Deum conservare est complexe significabile, igitur dependet a complexe significabili. Tum quia Deum velle *b* angelum esse est causa quare *b* angelus est. Sed Deum velle est significabile complexe. Et est idem quod Deum esse per Magistrum, libro primo, distinctione quadragesima quinta, capitulo primo et secundo. Tum quia si non causat, nec conservat creaturam, igitur nullius est potentie et virtutis formaliter, igitur non reputo esse meum esse illi subiectum, et ab illo dependere, igitur non teneor preferre Deum esse huic quod est [62a] me esse, et licite possem velle magis tolli Deum esse, quam tolli meum esse. Tum quia creaturam esse est causabile, igitur Deum esse est causa vel causativum. Antecedens patet quia est dependens. Habet enim creatura esse dependenter. Consequentia patet, quia si complexe significabili non repugnat causari, igitur nec causare. Et si complexe significabili non repugnat dependere, igitur alicui complexe significabili non repugnat terminare dependentiam, tum quia si non est causativum, nec causabile videtur figmentum per eadem. Probatur quod Deum creare

est Deus, quia Deum creare est causa effectiva per quam angelus est. Ideo ei *b* angelus est, quia Deus creat et dat esse, et conservat. Per idem arguitur quod Deum velle et scire *b* esse est Deus.

Secundo sic: *b* angelum esse est *b* angelus, igitur Deum esse est Deus. Antecedens probatur, quia *b* angelum esse est novum positivum, et non nisi a Deo causaliter effective, et per creationem. Sed nullum positivum est nunc a Deo causaliter effective per creationem, nisi *b* angelus ut supponitur. Unde, arguitur sic: Deus causando effective precise *b* angelum facit effective *b* angelum esse, igitur *b* angelum esse est *b* angelus, vel includitur ut pars in eo. Consequentia patet, quia ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis. Si enim non est *b* angelus, nec pars eius, igitur faciendo hoc et illud non facit precise hoc. Confirmatur: Deus nunc facit causaliter *b* angelum, et facit causaliter *b* angelum esse, aut igitur tamquam unicum effectum eundem et per positum, aut ut duo distincta causabilia effective, et hoc non, quia Deus non posset causare aliquod positivum simplex, quin causaret necessario extra se plura positiva etiam alterius rationis, quorum hoc non esset realiter et simpliciter illud. Si dicatur quod *b* angelum esse non est causabile.

Contra: omne positivum incausabile est Deus, quia vel est Deus vel dependens a Deo et exigens Deum esse, igitur est causabile effective. Item, *b* angelum esse est in infinitum nobilius, quam *b* angelus, quia positivum actuale independens a Deo et incausabile, igitur proportionabiliter Deum esse esset in infinitum nobilius quam Deus. Item, Deus poterit sine contradictione producere *b* angelum absque hoc quod *b* angelus sit. Probo: sit *a* hoc intelligibile significabile complexe, quod est *b* angelum esse, tunc sic positivum in absolutum quod non est *a*, nec dependes ab *a* nec includens *a*, potest sine contradictione Deus producere sine *a*. Sed *b* angelus est positivum absolutum, nec includit *a* quia vel neutrum includit alterum, vel saltem *b* non includit *a* sed potius econtra, et ita esset prius, igitur. Maior patet, quia inseparabilitas non esset, nisi vel propter identitatem, vel propter inclusionem, vel propter dependentiam, vel propter relationem. Confirmatur, aut eadem productione et destructione producitur et destruitur *b* angelus et *b* angelum esse aut alia et alia. Si primum, igitur sunt idem secundum processus philosophi 4 Metaphysice, ubi hoc probat quod homo et ens homo, et unus homo sunt idem. Si secundum, igitur Deus potest producere hoc productione propria non producendo illud productione alia, vel econtra, quia non sunt per se correlativa, vel quia aliter non posset Deus producere rem simplicem et indivisibilem, quin ponerentur plures productiones quarum quelibet

haberet proprium et distinctum terminum productum. Item, si *b* angelum esse includit *b* angelum et non est *b* angelus, igitur addit aliquid preter *b* et ul- **[62b]** -tra *b* illud non potest esse aliquid complexe vel incomplexum causabile.

Contra conclusionem: 'Petrum esse hominem' vel 'Petrum esse Petrum' non est Petrus, igitur 'Deum esse trinum et unum' non est Deus pari ratione. Antecedens probatur, quia remoto Petro per anihilationem ad huc manet 'Petrum esse hominem', cum sit verum necessarium, et similiter remoto asino manet 'asinum esse animal' iuxta determinatione Domini cardinalis. Secundo 'Petrum bene vivere' non est 'Petrum vivere', igitur pari ratione in proposito. Antecedens probatur primo, quia melius et eligibilius aliquo non est idem illi. Sed bene vivere est melius et eligibilius quam vivere, secundum Aristotelem 3 Topicorum circa medium. Secundo, vivere non est per se virtuosum et laudabile, sed indifferens, sed bene vivere est ex se virtuosum et laudabile.

Tertio, 'Petrum vivere' est possibile cum influenza Dei generali, vel influenza speciali, sed 'Petrum bene vivere' non est universaliter possibile, igitur.

Tertio, principaliter quod 'Deum esse trinum' et num non sit Deum esse, quia Deum esse est formaliter obiective certum et scibile naturaliter ut per se obiectum certitudinis et scientie. Sed 'Deum esse trinum et unum' non est formaliter certum, nec per se et formaliter obiectum certitudinis et scientie, quia sciremus naturaliter 'Deum esse trinum et unum'.

Quarto, angelus est Deum esse et non est Deus, igitur. Prima pars antecedens probatur. Angelus est esse Deum aut non est esse Deum. Si primum, igitur est Deum esse. Si secundum, igitur supposita constantia subiecti angelus est non esse Deum, igitur angelus est Deum non esse, quia non esse Deum et Deum non esse convertuntur, sicut esse Deum et Deum esse. Sed consequens est falsum, scilicet angelus sit Deum non esse, quia Deum non esse est impossibile, et quia faciens angelum faceret Deum non esse. Confirmatur principale antecedens, aut angelus est Deum non esse, aut non Deum non esse. Si primum, contra: ut prius, si secundum, igitur cum due negationes equipollent uni affirmationi, sequitur quod angelus est Deum esse.

Ad primum, negatur antecedens specialiter existente Petro. Ad probationem, si Petro anihilato illa foret falsa 'Petrus est homo', vel 'Petrus est Petrus'. Patet falsum esse quod

sumitur, quod scilicet remoto Petro maneat ‘Petrum esse hominem’. Si vero sit vera, tunc diceretur quod etiam Petro remoto verum est quod ‘Petrum esse hominem’ est Petrum. Et cum arguitur quod Petro remoto manet et non removetur ‘Petrum esse hominem’. Dicendum quod Petro remoto proprie loquendo removetur ‘Petrum esse hominem’, quia ‘Petrum esse hominem’ existebat et ponebatur realiter in actu, et postea non existit. Sed large et improprie loquendo diceretur non tolli, non quia maneat realiter in actu ut prius, sed quia adhuc verum est ‘Petrum esse hominem’, et consequenter isto modo ‘Petrum esse hominem’ remaneret Petrus, sed hoc non esset, scilicet proprietatem rei aliquid remanere, quia talis veritas hoc non exigeret. De hoc dictum est supra ultima questione prologi. Ad secundum negatur antecedens, sicut enim bene vivens est vivens, ita bene vivere est vivere. Ad probationem primam negatur de vi verbi, quod bene vivere sit melius quam vivere, sicut nec dicendum quod bene vivere sit melior quam vivens supposito quod terminus comparativi gradus confundat mobiliter et distributive terminum communem sequentem significantem terminum comparisonis. Philosophus autem intendit quod bene **[63a]** vivere est melius quam vivere precise absque bene vivere, ut ‘Petrum bene vivere’ est melius quam ‘Socratem vivere’ qui non bene vivit. Hec autem propositio eligibilis est bene vivere quam vivere potest habere duplicem sensum. Unus est quod electio secundum quam formaliter eligitur bene vivere est potior et preferenda electioni secundum quam eligitur formaliter absolute vivere, et hic sensus est verus et magis importatur quando terminus eligendi preponitur termino significanti obiectum eligibile dicendo magis eligendum est bene vivere quam eligendum sit vivere, et non infertur nisi distinctio et differentia electionum. Alius sensus est illud quod realiter est bene vivere est eligibilis obiectum quam illud quod est vivere, et quod nullum vivere est tam eligibile quam aliquod bene vivere et sic negatur. Et habere sensus magis denotatur quando terminus obiecti eligibilis preponitur, et terminus eligendi postponitur dicendo bene vivere est melius et eligibilis quam vivere, proportionabiliter est dicendum de istis duabus. Magis notum est mihi ‘illud esse animal’, quam notum mihi sit ‘illud esse hominem’, et ‘illud esse animal’ est mihi magis notum quam ‘illud esse hominem’. Ad secundam probationem antecedentis, propositiones sunt de actu signato et termini supponuntur simpliciter virtute determinationum additarum, ideo non infertur nisi distinctio predicabilium, vel non concluditur nisi negativa de modo quod vivere non est per se, et ex se bene vivere. Ad tertiam per idem arguitur quod ‘Petrus bene vivens’ non est ‘Petrus vivens’, quia ‘Petrum viventem’ possibile est poni absque gratia speciali, non autem ‘Petrum bene viventem’. Per idem etiam

arguitur quod 'Petrum esse album' non est 'Petrum esse coloratum', quia 'Petrum esse coloratum' est possibile poni sine albedine, et circumscripta albedine, non autem 'Petrum esse album'. Dicendum, igitur quod cum dicitur 'Petrum bene vivere' non est possibile absque gratia Dei, vel circumscripta gratia Dei, si hec additio absque gratia Dei vel circumscripta gratia sit determinatio dicti, sic conceditur maior et minor, quia non est possibile quod Petrus bene vivat sine gratia Dei, sed tunc illa additio habet poni in conclusione, quia se tenet ex parte maioris et minoris extremitatis et conceditur sic conclusio, quia 'Petrum bene vivere sine gratia' non est 'Petrum vivere sine gratia', nec econtra.

Si vero illa additio sit determinatio modi, sic negatur minor, quia non posita actualiter gratia Dei speciali, adhuc est tunc verum quod 'Petrum bene vivere' est possibile, vel potest dici quod minor est falsa in sensu divisionis. In sensu autem compositionis est vera, et non concluditur nisi conclusio de possibili.

Ad tertium principale, hec propositio 'Deum esse trinum et unum' non est tibi certum habet dupliciter sensum. Unus est illud obiective quod veraciter est 'Deum esse trinum et unum' non est formaliter obiectum certitudinis, et non est formaliter et simpliciter idem quod obiective certitudinaliter iudicas, et sic negatur. Alius sensus est. Non habens actum certitudinis correspondentem et conformem isti propositioni 'Deus est trinus et unus', ita quod hec apprehensio in te formata non est cognitio certa faciens assensum, et sic conceditur, et tunc non valet discursus nisi ad inferendum distinctionem actuum non in eo quod est 'Deum esse' et 'Deum esse trinum et unum'. Iste secundus sensus magis denotatur, cum terminus obiecti sequitur terminum cognoscendi dicendo non es certus 'Deum esse trinum et unum'. Ad quartum negatur prima pars antecedentis.

Ad probationem dicendum quod in hac propositione angelus est non esse Deum. Si sit negatio infinitans conceditur. Angelus enim est aliquid et non est hoc quod est esse Deum, et tunc non sequitur quod angelus sit Deum non esse. Sicut angelus est non ens Deus, nec tamen sequitur quod sit Deus non ens. Si vero sumitur negatio ut proprie et pure negans, sic negatur quod angelus sit non esse Deum, quia importaret quod angelus esset, et quod esset non ens, vel quod esset Deus non ens, et quod angelus esset et Deus non esset, et sic sequeretur quod angelus esset Deum non esse.

Ad confirmationem, dicendum quod angelus non est Deum non esse. Et cum dicitur quod due negationes equipollent uni affirmationi, dicendum quod non est universaliter verum due negationes, qualitercumque posite in propositione, equivalent affirmationi ex eisdem terminis. Sicut non sequitur ‘ego non video lignum non album, igitur video lignum album’. Similiter, non sequitur ‘Petrus non est lignum non album, igitur Petrus est lignum album’. Similiter, non sequitur ‘Petrus non bonus currit non velociter, igitur Petrus bonus currit velociter’. Quando, igitur in propositione ponuntur due negationes sic quod prima preponitur totali subiecto, et secunda preponitur immediate verbo facienti compositionem principalem, tunc equipollent uni affirmationi.

Si vero prima negatio ponatur inter partes partes subiecti, vel secunda negatio ponatur inter partes predicati, tunc non equivalent affirmationi, ut non sequitur ‘Petrus non albus est non currens, igitur Petrus albus est currens’. Si vero prima negatio prima negatio proponatur immediate copule et secunda negatio postponatur immediate copule, tunc due negationes equipollent uni affirmationi supposita duplici conditione. Prima est constantia subiecti seu rei significate per subiectum. Si enim Petrus non sit, non sequitur tunc ‘Petrus non est non currens, igitur Petrus est currens’. Prima enim est tunc vera, quia eius contradictoria est falsa, licet ‘Petrus est non currens’. Secunda conditio quod quamvis in figura loquendi secunda negatio postponatur immediate copule cum implicite, et equivalenter non contineat sensum secundum quem negatio poneretur post copulam mediate, sicut licet ‘angelus sit hec’ est vera ‘hic angelus non est nullum asinum esse’ nec ex hoc sequitur, ergo ‘hic angelus est aliquem asinum esse’. Prima autem est vera ut li ‘nullum asinum esse’ resolvitur et exponitur per istam ‘hunc asinum non esse’ et ‘illum asinum non esse’ etc. Consimiliter, in proposito hec propositio ‘angelus non est non esse Deum’, conceditur ut est negatio proprie, et pure negans, ut equivalet isti ‘angelus non est nullum Deum esse’, quia non est ‘hunc Deum non esse’.

Secunda conclusio, omnis propositionis simpliciter affirmative vere de inesse et de presenti et predicationis proprie et directe subiectum vere affirmatur de dicto equivalente seu correspondente illi propositioni, ut ‘si Petrus sit albus, Petrum esse album est Petrus’ et ‘Petrum esse filium Pauli est ipse Petrus’, probatur ‘Petrum esse album est Petrum realiter, et actualiter existere album’ et ‘hoc est Petrum existere et esse’, et ‘hoc est Petrus’ ut probatum est in superioribus.

Confirmatur: ‘Petrum esse hoc album’, est ‘hoc album esse Petrum’, et ‘hoc est esse Petrum’, et ‘hoc est Petrum esse’, et ‘hoc est Petrus’. Preterea, quod ‘lignum esse hoc album sit hoc album’, probatur sic quod est idem huic albo est hoc album, sed ‘lignum esse hoc album’ est [64a] idem huic albo. Probo, quia ‘lignum esse hoc album’ est ‘lignum esse idem huic albo’. Sed esse idem huic albo est idem huic albo, quia esse idem ipsi *b* est idem ipsi *b*, non enim est distinctum ab ipso *b*, quia esse idem alicui esset esse distinctum ab illo et illud cui conveniret esse idem, cum *b* esset distinctum ab ipso *b*. Preterea, ‘quod est hoc corpus est hoc album’ est identitas huius corporis ad hoc album est ‘hoc corpus esse hoc album’, scilicet corpus album est huiusmodi igitur, maior patet quia corpus esse album non dicit nisi corpus et album et unitatem seu identitatem corporum ad album. Copula enim non importat ultra extrema nisi identitatem vel unitatem huius ad hoc. Minor probatur, quia unumquodque est unitas et identitas secundum quam est unum et idem ei cui est unum et idem. Preterea, ‘lignum esse album est esse album’, sed ‘esse album est album’, igitur ‘lignum esse album est album’ et non aliud a ligno, igitur est lignum minor principaliter, et quod esse album sit album, probatur multipliciter. Primo, quia esse album est esse, igitur est album. Antecedens patet, quia non sibi convenit non esse. Consequentia probatur, quia in hoc quod dico esse album non minus per se et formaliter includitur album quam esse. Secundo, quod non est album non est esse album. Sed per te esse album non est album, igitur esse album non est esse album. Conclusio est falsa. Et non maior, igitur minor. Maior probatur, tum per locum a toto in modo, quia esse album non est aggregatum ex determinabili et determinatione distrahente. Tum quia quod non est album non est ens album, igitur quod non est album non est esse album. Consequentia probatur, quia esse album non magis componitur ex determinabili et determinatione distrahente quam ens album. Tum quia quod non est esse non est esse album, igitur quod non est album, non est esse album, nec est album esse. Consequentia probatur, quia sicut li ‘album’ non distrahit de esse, ita esse non distrahit de albo, quia album staret cum non esse.

Tertio, probatur idem, scilicet quod esse album sit album accipiendo semper esse verbaliter. Sic aut hoc quod dico esse album est aggregatum ex determinabili et determinatione seu additione distrahente et diminuyente, aut non. Si secundum, igitur pars verificatur de toto. Si primum, igitur de quocumque verificatur illud aggregatum verificatur altera pars, licet non utraque. Patet de quocumque enim verificatur esse hominem mortuum verificatur esse hominem vel esse mortuum, et de quocumque verificatur esse hominem in potentia seu in opinione

verificatur esse hominem vel esse in potentia seu in opinione, igitur cum esse album verificetur de hoc quod est 'lignum esse album'. Sequitur quod 'lignum esse album sit album' et habetur propositum, vel est esse et non album, igitur est esse non album et per consequens esse album est esse non album. Preterea, 'Petrum esse' est aliqua entitas simplex vel composita vel alique entitates, quia existit et ponitur actualiter et presentialiter alicubi in certo loco in quo etiam videtur ab angelo, et quia est effectus causalitatis effective, aut igitur est ipsa res que est Petrus albus et habetur propositum, aut est ipsa res que est albedo et hoc non, quia si ponatur esse altera istarum duarum rerum convenientius ponitur esse Petrus ens albus quam esse albedo, quia 'Petrum esse hominem album' est esse hominem album. Hoc autem non convenit albedini, sed Petro aut est compositum ex Petro et albedine, et hoc non. Primo, quia esse Petrum esset illud compositum, probo quia 'Petrum esse hoc album' est 'hoc album esse Petrum' et 'hoc est esse Petrum'. Secundo, quia tunc 'albedinem inherere Petro' non esset 'albedo inherens Petro', sed esset illud idem compositum et ille due res simul iuncte. Ex quo sequitur quod 'Petrum esse album' et 'albedinem inherere Petro' sint idem formaliter et simpliciter. Sed hoc est falsum, tum quia esse subie- [64b] -ctum albedinis et inherere essent idem et sustentare accidens et dependere per modum accidentis essent idem. Tum quia 'albedinem esse' et 'Petrum esse' essent idem, quia 'albedinem esse inherente' est 'albedinem esse' et 'Petrum esse subiectum albedinis' est 'Petrum esse'.

Tertio, non potest poni tale compositum in aliis probationibus ut hoc esse maius illo, quero igitur an hoc esse maius illo sit hoc ens maius illo et habetur propositum vel est illud minus. Et patet quod non, aut est hoc et illud simul sumpta. Sed contra, quia illud esse minus isto esset pari ratione iste due res, igitur hoc esse maius et illud esse minus essent idem, et esse idem maiori esset esse idem minori, quia esse maius est esse idem maiori et excedere esset excedi, et esse nobilius esset esse ignobilius et perfectius esset imperfectius. Et per idem arguitur quod hoc distare ab illo vel hoc locari ab illo vel hoc esse superius illo non sit hee plures res sic se habentes, quia esset hee res, igitur locari esset locare esse locum esset esse locatum et esse sursum esset esse deorsum. Patet per syllogismus expository, quia quodlibet esset hee res sit se habentes.

Contra: primo *a* subiectum fiat de albo nigrum. Tunc sic *a* non cedit, nec vertitur in suum oppositum, nec ei succedit suum oppositum, scilicet *a* esse nigrum, igitur *a* esse album non est

a. Deductio patet, quia quod vertitur in suum oppositum non est illud quod non vertitur in suum oppositum. Confirmatur: *a* non opponitur, nec repugnat huic quod est *a* esse nigrum. Sed *a* esse album opponitur et repugnat huic quod est *a* esse nigrum, sunt enim impossibilia, igitur. Secundo, *a* esse album seu esse album est terminus ad quem alterationis motus. Sed *a* vel *a* esse non est terminus ad quem alterationis, quia preerat et quia non opponitur termino a quo, sed est subiectum commune utrique termino, igitur maior patet 7 et 8 Methaphysice, forma non est per se terminus ad quem, nec per se terminus a quo, nec per se sit. Sed lignum esse album ex ligno nigro fit.

Tertio, quod est naturaliter prius aliquo non est illud, sed distinguitur ab illo. Sed Petrus et Petrum esse est naturaliter prius quam Petrum esse album, igitur. Vel sic Petrus presupponitur albedini tamquam subiectum Petrum esse album et album non presupponitur albedini, igitur, per idem potest argui in multis. Confirmatur *a* esse causam ipsius *b* causati non est *a*, probo quia *a* est naturaliter prius quam sit *b* causari. Sed *a* esse causam ipsius *b* non est naturaliter prius quam *b* causari, immo sunt simul natura quia sunt correlativa et simul sunt et non sunt, 2 Physicorum.

Quarto, quod causatur effective ab aliquo a quo non causatur *a* non est *a*, scilicet *a* esse calidum causatur effective ab *e* calefactivo, quia *e* facit causaliter *a* esse calidum, scilicet *a* vel esse *a* non causatur effective ab *e*, scilicet *a* esse calidum est effective ab *e*, igitur. Unde, potest sic argui *a* non est effective ab *e*, igitur *a* esse calidum non est *a*, eodem modo sit *o* illud a quo generatum est prius substantialiter *a*. Tunc sic *a* est causatum effective ab *o*. Sed *a* esse calidum non est causatum effective ab *o*, immo contingit *o*, tunc non esse, igitur.

Quinto, *a* vel *a* esse non est effectus formalis ipsius albedinis. Sed *a* esse album est effectus formalis ipsius albedinis et albedo est causa formalis illius, igitur.

Sexto, sequitur quod *a* esse hominem et *a* esse album, et *a* esse calidum et *a* esse quadratum, et *a* esse sursum etc., omnia ista essent idem simpliciter. Consequentia patet, quia essent idem ipsi *a* falsitas consequentis probatur multipliciter. Primo, quia hoc causatur effective ab aliquo a quo non causatur illud ut supra, *a* enim esse album causatur ab *e* effectivo albefactivo, et *a* esse calidum causatur ab *o* calefactivo, et *a* esse quadratum causatur ab arte etc. [65a] Aliquod enim agens fecit *a* esse album, et aliud agens fecit *a* esse calidum etc. Secundo,

a esse album est terminus per se dealbationis non calefactionis. Sed *a* esse calidum est per se terminus calefactionis non dealbationis etc., igitur. Tertio, unum est causa alicuius cuius reliquum non est causa et unum assignatur convenienter causa et propter quid alicuius cuius non est reliquum. Si enim *a* sit album et calidum et calefaciat *b*, tunc *a* est causa caloris *b* non quia *a* sit album, sed quia sit calidus. Similiter, ‘Petrum esse hominem’. Non est per se causa et ratio sufficiens vituperii et punitionis, sed ipsum esse adulterum vel homicidam et Petrus diligitur a me, quia est propinquus vel bonus, non quia est simus vel niger. Quarto, esse album datur ipsi *a* formaliter per albedinem, sed esse calidum non datur ipsi *a* formaliter per albedinem, et econtra: esse calidum datur formaliter ipsi *a* per calefactionem, sed non esse album, igitur. Confirmatur, forme distincte habent per se effectus formales distinctos, igitur dant formaliter esse distincta. Quinto, *a* esse album est possibile sine calore, vel circumscripto calore, sed *a* esse calidum non est sic possibile. Sexto, idem esset Petrum sentire et intelligere et diligere. Patet, quia essent idem ipsi Petro. Consequens est falsum, quia sentire est per sensum, non per intellectum. Similiter, sentire est organicum et est ignobilius quam intelligere. Similiter, diligere est liberum et meritorium, non autem sentire et quia melius sentire non est melius intelligere, nec est melius diligere. Confirmatur, diligere et odire essent idem sic idem est odiens et diligens et odire et odiri sic, idem est odiens et oditus. Consequens est falsum, quia diligi et odiri non est in potestate tua. Sed diligere et odire quod iterum. Consequens sit falsum, etiam respectu diversorum obiectorum, quia diligere *b* potest esse licitum et odire *c* est illicitum et prohibitum ex quo potest sic argui. Septimo, Petrum diligere *b* est bonum et preceptum vel licitum et laudabile. Sed Petrum esse vel currere vel esse album vel esse ebriosum, non est bonum vel preceptum vel laudabile. Sed prohibitum et vituperabile, igitur unde non videtur prohiberi vel precipi per se et directe, nisi complexe significabile et non aliqua res incomplexe significabilis, quia idem preciperetur et prohiberetur. Confirmatur, ‘Petrum esse peccatorem’ est oditum et reprobatum a Deo et non est a Deo, nec Deo imputandum. Sed ‘Petrum esse hominem’ est a Deo nec a Deo reprobatum, immo Deo ascribendum, igitur. Ex quo ultra arguitur ad principale quod *b* actum actu positivum esse malum et viciosum non est *b* actus positivus, quia Deus est causa illius positivi et dat illi esse illud quod est cum sit quedam bonitas naturalis. Sed Deus non facit causaliter hunc actum esse malum, nec est causa quare actus sit malus, quia esset causa peccati ut peccatum est et culpa, ut culpa esset referenda in Deum et attribuenda et imputanda Deo.

Octavo, ‘Petrum esse audientem’ et ‘Petrum esse cecum’ essent idem. Consequentia patet, quia essent idem Petro. Consequens est falsum, quia habere sensum auditus est ei bonum naturale. Sed esse cecum et privatum visu, est ei malum naturale et est imperfici. Eodem modo de scientia et ignorantia in anima respectu diversorum. Nono, idem esset movere et moveri, agere et pati. Consequens est contra Philosophum, 3 Physicorum, et quia agere est nobilius quam pati. Sed agens non semper est nobilius patiente, tum quia interdum idem. Tum quia interdum est ignobilius ut cum aqua corrumpit ignem. Decimo, Augustinus 6 De Trinitate, capitulo 4, “humano animo non est hoc esse quod Socratem esse aut prudentem esse aut iustum, aut temperantem. Potest enim esse animo et nullam istarum habere virtutem”. Et capitulo 6, “in anima aliud est artificiosum esse, aliud actum esse, aliud memorem esse”. Patet igitur multipliciter falsitas consequentis. Septimo principaliter **[65b]** contra conclusionem peccatum intelligi, prohiberi, vituperari, puniri esset peccatum. Confirmatur: falsum esse falsum vel opponi vero esset falsum. Octavo principaliter, *a* corpus esse album est compositum ex corpore et albedine, igitur non est corpus. Consequentia patet, quia corpus non est compositum ex corpore et albedine. Antecedens probatur, tum quia contradictio est opponi vel intelligi sine illo et econtra. Tum quia utrumque est terminus totalis alterationis non sunt autem duo termini totales. Nono, *a* non esse album non est *a* non album, licet propositio sit vera, igitur *a* esse album non est *a* album, licet propositio sit vera. Consequentia patet, quia proportionabiliter se habent *a* non esse album ad *a* non album et *a* esse album ad *a* album, et sicut propositio affirmativa ad dictum affirmativum conforme et correspondens, sic negativa ad negativum, et quia si ‘Petrus albus’ et ‘Petrum esse album’ convertuntur, igitur proportionabiliter ‘Petrus non albus’ et ‘Petrum non esse album’ convertuntur. Antecedens probatur primo, quia ‘Petrum non esse album’ ponitur destructo Petro, quia tunc verum est ‘Petrum non esse album’ et ita ponitur in re sicut huiusmodi significat propositio. Sed ‘Petrus non albus’ non poneretur tunc, quia ‘Petrus non albus’ est ‘Petrus alio colore coloratur’ et ita hoc intelligibile est positivum non autem illud. Secundo, quia *b* asinus non est ‘Petrus non albus’ et tamen est ‘Petrum non esse album’. Probo dupliciter: primo *b* asinus est ‘nullum hominem esse album’, igitur est ‘hunc hominem’, scilicet ‘Petrum non esse album’. Antecedens probatur, quia ‘nullum hominem esse album’ est *b* asinus, quia contradictoria huius est falsa, igitur *b* asinus est ‘nullum hominem esse album’. Consequentia probatur per locum a toto in quantitate, quia ‘nullum hominem esse album’ et ‘hunc hominem’ vel ‘aliquem hominem non esse album’ se habent proportionabiliter, sicut

‘omnem hominem esse album’ et ‘hunc hominem’ vel ‘aliquem hominem esse album’. Secundo *b* asinus non est ‘Petrum esse album’, igitur est ‘Petrum non esse album’. Consequentia probatur, tum quia supposita constantia subiecti ad negativam de extremo affirmativo sequitur affirmativa de extremo negato vel infinitato, tum quia alterum contradictorium dicitur de quolibet subiecto supponente pro ente actu existente. Decimo principaliter, ‘omnem hominem esse album’ et ‘omnis homo albus’ non sunt idem, igitur proportionaliter ‘Petrum esse album’, et ‘Petrus albus’ non sunt idem, quia proportionaliter se habent hec et illa. Antecedens probatur, quia ‘omnem hominem esse album’ non ponitur modo in actu, quia verum esset ‘omnem hominem esse album’ et per consequens ‘omnis homo esset albus’ cuius oppositum nunc supponitur. Sed ‘omnis homo albus’ ponitur in re et est aliquid existens in actu, quamvis unus tantum ‘homo sit albus’ vel duo. Probo, quia ‘Petrus albus’ est aliquid in actu et Plato similiter. Sed possibile est quod omnis homo albus sit Petrus vel Plato. Confirmatur, ‘omnem albedinem inherere Petro’ et ‘omnis albedo inherens Petro’ non sunt idem. Probo, quia ‘omnem albedinem inherere Petro’ est naturaliter impossibile. Sed ‘omnis albedo inherens Petro’ est possibilis et est aliquid naturaliter, quia *a* albedo est ‘omnis albedo inherens Petro’, igitur.

Ad primum, per idem arguitur quod corpus non est album, et quod esse corpus album non est esse corpus, et quod album non est sua similitudo. Dicendum, igitur quod hec propositio album seu *a* esse album cedit vel succedit suo opposito vel vertitur in suum oppositum est distinguenda secundum compositionem et divisionem, quia equivaleret isti album desinit vel incipit nigrum fieri, que est falsa in sensu divisionis, ratione propositionis negative de preterito vel futuro quam implicat, quia illud quod erat album non desinit esse, nec eius oppositum incipit esse, sed erit postea. In sensu autem compositionis vera est, quia prius est verum quod album est et postea non est [66a] verum. Sed erit verum quod nigrum est in sensu autem compositionis non sequitur conclusio negativa de presenti, sed esset figura dictionis. Sed inferenda est tantum conclusio negativa de preterito vel futuro, aliter non valet ut hic ‘Petrus erit ambulans’, ‘Petrus sedens non erit ambulans’, igitur ‘Petrus sedens non est Petrus’. Ad confirmationem, per idem arguitur quod nullum corpus est album, quia album opponitur et repugnat nigro. Per idem etiam arguitur quod esse album non est esse coloratum, quia esse coloratum et esse nigrum non opponuntur nec repugnant. Dicendum igitur quod, si accipitur opponi ut est proprietas signorum, sive complexorum, sive incomplexorum, tunc non arguitur nisi distinctio signorum. Si vero ut est proprietas realis significabilium, tunc propositio in qua ponitur huiusmodi terminus oppositionis

est implicite de possibili et negativa, licet in figura loquendi sit affirmativa de inesse, hec igitur propositio *a* esse album opponitur et repugnat huic quod est *a* non esse album est distinguenda, quia equivalet isti *a* album non potest esse *a* non album, licet idem successive posset esse prius *a* album, et postea esse *a* non album. Prima pars in sensu divisionis falsa est, immo idem numero potest esse album et postea nigrum et sic in eodem sensu falsum est quod album opponitur nigro, immo sunt eiusdem rationis, scilicet illud ens quod est album et illud ens quod est vel erit nigrum, et in sensu autem compositionis vera est, et tunc non sequitur conclusio negativa de inesse et de presenti. Sed conclusio de possibili et negativa non de modo. Ad secundum, per idem arguitur quod lignum non est lignum album, quia lignum non est per se terminus ad quem alterationis. Sed lignum album ex 7 et 8 Metaphysice. Per idem etiam arguitur quod esse album non est esse coloratum, quia esse coloratum non est per se terminus ad quem denigrationis, quia non contrariatur termino sicut 1 Physicorum, dicitur quod “non per se ex animali sit animal, quia iam animal erat”. Dicendum est igitur quod hec propositio album vel esse album est terminus alterationis non est mere affirmativa de presenti, quia equivalet isti album vel esse album fit noviter et acquiritur noviter per alterationem et ad hoc erat alteratio ut esset album, sicut hec propositio est distinguenda. Ens album fit et acquiritur noviter per albedinem, sic et ista ens album vel esse album est terminus alterationis. Unus sensus est illud quod est ens album vel esse album non erat. Sed capit esse per alterationem et sic esset falsa. Alius sensus est illud quod prius non erat album fit per alterationem album, ita quod quamvis prius esset illud quod est non, tamen prius erat tale quale nunc est post alterationem, et sic est verum et tunc non valet discursus, sed est figura dictionis mutando quid in quale in discursu ex premisis non de presenti, vel si sequitur conclusio aliqua non est conclusio negativa de presenti sed de preterito, puta quod corpus non erat prius esse album. Potest etiam assignari fallacia accidentis, quoniam ex eo quod idem est illud quod ipsum est substantialiter et est tale et taliter se habens, concluditur quod si noviter est tale per aliquid sit noviter illud quod est ipsum substantialiter per illud. Ad tertium, per idem arguitur quod ‘Petrum esse hominem album et simum’ non sit ‘Petrum esse’, nec ‘Petrum esse hominem’, nec sit ‘Petrum esse album’. Per idem etiam arguitur quod ‘Petrus non est Petrus albus’, quia Petrus naturaliter est prior Petro albo. Sed Petrus albus non est prior naturaliter Petro albo. Dicendum est igitur quod secundum Aristotelem, 5 Metaphysice, “Plato usus est quodam modo prioritatis, secundum quem prius natura alio dicitur quod sine illo alio potest esse non econtra. Hec igitur propositio ‘Petrus vel Petrum esse’ est naturaliter prius quam

‘Petrum esse album’ est implicite due propositiones de possibili ex sua propria expositione et equi- [66b] -valet istis duabus propositionibus ‘Petrus vel Petrum esse’ potest esse et poni absque hoc quod ‘Petrum esse album’ ponatur et sit seu quamvis ‘Petrum esse album’ non ponatur. Sed ‘Petrum esse album’ non potest poni nisi ponatur ‘Petrus et Petrum esse’. Minor igitur est distinguenda ratione sue prime exponentis, scilicet Petrus potest poni, licet ‘Petrus albus’ seu ‘Petrum esse album’ non sit. Unus sensus est Petrus potest esse, licet illud non sit quod modo est de facto ‘Petrus albus’ vel ‘Petrum esse album’, et sic negatur. Alius sensus est Petrus potest poni, licet nihil fit ‘Petrum esse album’, et sic conceditur. Consimiliter posset distingui secunda, exponens secundum compositionem et divisionem in sensu, autem in quo minor est vera non sequitur conclusio nisi de possibili, quia premissae sunt de possibili. Si vero inferatur negativa de inesse et de presenti, tunc est figura dictionis mutando quid in quale in discursu ex premissis de possibili. Unde, quamvis illud ens quod est naturaliter prius aliquo ente, puta *b*, non sit illud ens quo est prius. Tamen aliquid quod est natura et tempore prius illud quod est quam sit tale vel taliter se habens est tale, et taliter se habens et idem est prius hoc et posterius est tale, et est illud quod est prius et est tale quale posterius. Aliter diceretur et in idem redit quod maior proprie sumpta est vera. Sed minor non debite sumitur sub maiore, maior autem improprie sumpta negatur in hoc, scilicet sensu quod est prius ens et aliquid quam *b*, huiusmodi se habens non est *b* huiusmodi se habens. Iterum potest dici quod minor est neganda loquendo proprie, quia Petrus non est prior Petro albo, sicut nec Deus est prior Deo creante, nec Deus creans est prior quam Deus salvans. Sed minor improprie dicitur vera in similitudine et proportionem ad quasdam alias propositiones significantes prioritatem naturalem de aliquo, quia minor potest exponi per quasdam propositiones similes aliquo modo illis per quas exponuntur propositiones significantes unam rem esse priorem naturaliter alia re. Sicut enim hoc ens naturaliter esset prius illo ente importat quod hoc ens potest esse simpliciter, licet illud ens non sit, licet non econtra, ita aliquid potest esse absque hoc quod sit tale non econtra, et tamen ipsum est tale nunc de facto. Unde, de prioritatem secundum consequentiam non convertibilem imaginamur quasi significari entia habentia prioritatem naturalem. Ad confirmationem per idem. Ad quartum per idem arguitur quod Petrus non est ens album neque est esse album, sumendo li ‘ens’ nominaliter et quod hoc ens album non est hoc ens calidum, quia hoc calidum est ab *e* calefactivo, hoc album non est ab *e* calefactivo igitur vel ab *e* calefactivo est calidum ab *e* calefactivo non est album, igitur huiusmodi, igitur syllogismi sunt similes istis ‘hic lapis est a

natura, hec imago seu hoc artificiatum non est a natura, igitur hec imago non est hic lapis', vel sic 'hec imago est ab arte et est opus artis, hic lapis non est ab arte, nec est opus artis, igitur hic lapis non est hec imago'. vel 'aqua est naturalis, balneum est aqua, igitur balneum est naturale', vel 'ignis facit *b* calidum, sed *b* calidum est substantia et corpus quantum igitur ignis facit substantiam et corpus quantum'. Si dicatur ad huiusmodi paralogismos quod hec imago quatinus imago et secundum quod imago est ab arte non secundum quod lapis. Et similiter hoc calidum secundum quod calidum est ab *e* calefactivo non secundum quod album, non videtur sufficiens responsio, quia si premissae in forma qua accipiuntur sunt simpliciter et absolute vere, igitur debet concludi simpliciter conclusio et absolute, nisi ostendatur defectus in forma. Si vero altera premissarum sit falsa in forma, quae simpliciter et absolute accipitur, debet negari vel distingui et ostendi quare in sensu vero non sequatur conclusio. Ad tales igitur paralogismos est quadruplex via respondendi. Primus [67a] modus est quod hec propositio, hec imago est ab arte vel hoc esse calidum est ab *e* calefactivo habet duplicem sensum. Unus est illud quod est hec imago est effective ab arte et illud quod est hoc calidum vel hoc esse calidum est effective ab *e* calefactivo et sic negatur. Alius sensus est illud quod est imago, est imago ab arte, et illud quod est hoc calidum vel quod est hoc esse calidum est calidum, et est hoc esse calidum ab *e* calefactivo et sic conceditur. Primus sensus videtur sensus materialis, secundus formalis. Primus est sensus quem sufficienter facit propositio. Secundus est in quo sit in secundo sensu non valet discursus ad inferendum quod hec imago non est hic lapis. Sed tantum quod hec imago non est lapis ab arte vel quod hic lapis non est hec imago a natura, et non erit forma syllogistica ad aliam conclusionem. Secundus modus respondendi est hec propositio 'hec imago est ab arte, non a natura' vel 'hoc esse calidum est ab *e* calefactivo' est simpliciter falsa vel est truncata et imperfecta simpliciter, enim falsum est quod hoc calidum sit ab *e* calefactivo, si illud quod est realiter hoc calidum sit ens non causatum ab *e* calefactivo. Si vero perficiantur huiusmodi propositiones ut reducantur ad veritatem, tunc non erit forma syllogistica vel inferetur conclusio manifeste concedenda que non erit contra, predicta habent autem sic perfici, hec imago est ab arte imago, et hoc calidum est ab *e* calefactivo effective calidum. Et tunc arguendum est sic: hec imago est ab arte non a natura imago, hic lapis non est ab arte, sed a natura imago, igitur hic lapis non est imago. Sed minor est falsa. Potest etiam sic argui, hoc est ab arte non a natura imago, hoc non est ab arte, sed a natura hic lapis, igitur quod est ab arte imago non est ab arte lapis, vel quod est a natura lapis non est ab arte lapis et conceditur, et non

sequitur quod hec imago non sit lapis, vel quod hoc esse album non sit hoc esse calidum, sed quod ab *e* calefactivo esse calidum non est ab *e* calefactivo esse album, ita quod in conclusione debet poni illa specificatio ab *e*, quia se tenet ex parte copule vel maioris vel minoris extremitatis. Sic igitur hec propositio, hec imago est ab arte est truncata, quia li ‘ab arte’ est determinatio predicati subintellecti quod si exprimatur apparet quod forma concludit verum vel altera premissarum erit manifeste falsa. Tertius modus respondendi, quod tales discursus peccatur in forma per fallaciam figure dictionis mutando unum genus predicationis in aliud in discursu ex predicationibus cum determinatis ex specificabilibus causalitatis et perseitatis. Sicut enim comittitur fallacia figure dictionis mutando unum genus predicationis in aliud in discursu ex premissis de preterito vel futuro vel possibili, ita in discursu ex premissis cum specificabilibus et nota causalitatis et perseitatis, quia non sequitur Petrus est risibilis, quia est homo, igitur quia est animal, vel quia est homo albus vel homo est albus per albedinem, igitur est calidus per albedinem, licet albus sit calidus, quia autem huiusmodi modificationes *ex*, *ab*, *per* notent quamdam perseitatem. Patet quia notant quedam modum causalitatis, patet etiam quod Philosophus I Physicorum negat ens fieri ex eo quod est, aut ex eo quod non est, quia hoc significat fieri ex ente secundum quod ens, vel fieri ex non ente secundum quod non ens. Dicendum igitur quod in argumento principali est figura dictionis, quia licet illud, quod causatur effective ab aliquo a quo non causatur *a*, non sit *a*, tamen illud, quod est ab aliquo causaliter tale et taliter se habens a quo non causatur *a*, secundum illud quod est, potest esse *a* et *a* est taliter se habens ab aliquo a quo tamen non est *a* simpliciter, et ideo non sequitur quod idem sit effective ab aliquo et non sit effective ab eodem [67b] vel quod aliquid sit causa alicuius et non sit causa eiusdem. Sed tantum quod aliquid est ab aliqua causa tale et taliter se habens *a* qua tamen non est illud quod est essentialiter. Quartus modus respondendi est quod talis discursus peccat in forma per fallaciam accidentis. Hoc enim esse illud quod est essentialiter et hoc esse tale et esse tantum et taliter se habens sunt unum per accidens, et alterum dicitur de altero. Et ideo infertur quod si ab aliquo habet esse tale habeat ab eodem esse tantum et taliter se habere vel esse illud quod est. Et ex hoc etiam infertur quod quidquid dicitur de uno cum quadam specificatione dicatur de alio, cum eadem specificatione hoc autem non oportet maxime cum modus et specificatio est talis quod non idem importaretur per predicationem eiusdem predicati de subiecto, et de accidente cum eade specificatione. Et ad hanc fallaciam videtur reducere Philosophus huiusmodi paralogismos 1 et 2 Ethicorum. Ex his patet ad forma quarti argumenti.

Si vero arguatur sic: ‘ars facit hanc imaginem, ars non facit hunc lapidem non sequitur, igitur hic lapis non est hec imago, sed sequitur quod aliquod faciens hanc imaginem non est faciens hunc lapidem’. Si vero arguatur sic, illa distinguuntur quorum unum facit ars et reliquum non facit ars, sed natura, scilicet etc.

Responsio, mutatur quid in quale vel in huiusmodi, licet enim illud quod facit ars non sit illud quod non facit ars, sed natura et econtra, tamen illud quod natura facit est tale quale non facit ipsum natura. Sed ars et *a* natura non sit tale, sed ab arte. Ad quintum, principale per idem arguitur quod *a* esse album non sit *a* esse, nec sit esse calidum, accipiendo li ‘esse’ nominaliter quod est falsum, si ens album sit ens calidum. Dicendum igitur quod esse album convenit subiecto albedinis et convenit composito ex subiecto et albedine, et utrumque convenit per formam, sicut esse animatum convenit corpori et composito ex corpore et anima. Subiectum igitur esse album est subiectum ens album et compositum esse album est compositum ens album. Cum igitur dicitur quod esse album est effectus formalis albedinis, si accipitur esse album ut convenit composito ex subiecto et albedine conceditur, quia cum causalis formalis causalitas sit intrinseca compositum ex forma et subiecto est effectus cause formalis, et conceditur quod esse album isto modo non est idem subiecto, nec convenit subiecto, nec sic accipitur cum dicitur subiectum esse album. Si vero esse album concipitur pro illo intelligibili pro quo personaliter accipitur cum dicimus *a* esse corpus album, negatur quod *a* esse album sit vere et proprie effectus formalis albedinis, illud enim quod est *a* esse album non est illud compositum *b*, sed est subiectum albedinis quod est album, tamen in quadam similitudine dicitur esse effectus albedinis, quia *a* est album formaliter per albedinem et albedo est forma per quam *a* est album, et ita esse album intelligitur quasi novus effectus albedinis ut cause formalis, tamen secundum proprietatem rei aliter accipitur esse album cum vere dicitur esse effectus formalis albedinis, et cum dicitur *a* esse album de hoc iterum infra. Ad sextum, conceditur consequens, sunt tamen per accidens et contingenter idem sicut contingenter et per accidens hoc album est hoc calidum et grammaticum etc., quod autem consequens sit verum. Probat, quia sicut ens album ad ens calidum sic esse album ad esse calidum. Sed ens album est ens calidum, igitur iterum ‘Petrum esse album’ est ‘Petrum esse’, et ‘Petrum esse sanum’ est ‘Petrum esse’, igitur sunt idem cuidam, igitur sunt idem inter se iterum ‘hunc hominem esse album et sanum’ est ‘hunc hominem esse sanum’, et ‘hunc hominem esse sanum’ est ‘hunc hominem esse album’, igitur ‘hunc hominem esse album’ est ‘hunc hominem esse sanum’, iterum sit ‘Petrus albus et sanus’,

tunc sic ‘Petrus [68a] esse sanum’ est ‘Petrum album esse sanum’. Sed ‘Petrum album esse sanum’ est ‘Petrum album esse Petrum sanum’ et hoc per conversionem est ‘Petrum sanum esse Petrum album’, et hoc est ‘Petrum esse Petrum album’ et hoc est ‘Petrum esse album’, igitur de primo ad ultimum ‘Petrum esse sanum’, est ‘Petrum esse album’. Ad primam, igitur improbationem consequentis et secundam, patet supra ad tertiam, negatur assumptum. Ad probationem, per idem arguitur quod ‘Petrum esse hominem album’ non sit ‘Petrum esse hominem coloratum’, et quod ‘Petrum esse hominem agentem male’ non sit ‘Petrum esse hominem agentem’ et quod ‘homo propinquus non sit animal simum’. Petrus enim diligitur a me, quia homo propinquus, non quia anima simum. Dicendum igitur, quamvis *b* sit calidum ab *a* quia est calidum et non quia *a* sit album, et idem sit *a* esse album et *a* esse calidum, non ex hiis sequitur quod aliquid sit causa alicuius non sit causa eiusdem ut in precedenti dictum est. Non sequitur ars est causa imaginis et non est causa lapidis et imago et lapis sunt idem, igitur aliquid est causa alicuius et non est causa eiusdem. Si vero reducitur sic ‘hoc esse album non est causa calefactionis, hoc esse calidum est causa calefactionis, igitur hoc esse calidum non est hoc esse album’. Dicendum quod maior est falsa, sicut falsum est quod ‘hoc album non sit causa calefactionis’, tamen communiter non recipitur, sed respicitur tamquam falsa, quia impropria et per accidens, non enim est causa calefactionis secundum quod album et quatinus habet esse album. Immo hoc posito et circumscripto hoc esse calidum non esset causa calefactionis et circumscripto ‘hoc esse album’ nihilo minus esset causa calefactionis. Ideo hoc est magis per se et propria *a* calidum vel *a* esse calidum est causa calefactionis et *a* esse album non est proprie propositio causalis, nec est conveniens et sufficiens ratio seu responsio causalis ad questionem propter quid *b* est calidum ab *a*. Contra hoc esse album non est per se causa calefactionis vel similitudinis. Sed hoc esse calidum est per se causa calefactionis et similitudinis ad *b*, igitur hoc esse calidum non est hoc esse album, illud enim quod est per se causa alicuius non est illud quod non est per se causa illius. Respondetur quod huiusmodi determinationes per se vel secundum quod sunt ponende in utraque premissa et in conclusione et debet inferri quod hoc non est per se illud non qui sit simpliciter illud. Contra, immo sequitur conclusio simpliciter negativa de inesse sine huiusmodi modificatione, quia quod est per se causa alicuius non est simpliciter et absolute illud quod non est per se causa illius, hec enim propositio est eque evidens sicut ista ‘illud quod est causa alicuius non est simpliciter et absolute illud quod non est causa illius’, quia veritas utriusque fundatur super evidentia primi principii. Eque enim impossibile est quod idem

sit per se et non sit per se causa, sicut quod idem sit absolute causa et non sit absolute causa, igitur si *a* est per se causa alicuius, puta *c* et *b* non est per se causa ipsius *c*, sequitur quod *b* simpliciter et absolute non est *a*. Item, falsum est quod talis discursus universaliter teneat si hec determinatio per se ponatur in premissis et in conclusione, quia hic discursus non valet: ‘Homo est per se rationalis et risibilis, homo est per se animal, igitur animal est per se rationale et risibile’, sicut ‘hoc esse album est per se propter quid et qua re hoc assimilatur *b* albo, hoc esse album est per se coloratum, igitur hoc esse coloratum est per se propter quid et quia hoc est simile albo’. Conclusio est falsa, quia non esset conveniens responsio causalis. Item, si per accidens ponitur in premissis et conclusione non ex hoc valet discursus sicut hic, ‘album est per accidens calefactivum, hoc calidum est per accidens album, igitur hoc calidum est per accidens calefactivum’, ideo aliter respondetur a quibusdam, concedendo quod album esse album est per se causa **[68b]** calefactionis, et conceditur iste syllogismus ‘calidum est per se causa calefactionis, hoc album est calidum, igitur hoc album est per se causa calefactionis’ vel ‘edificator per se edificat, album est edificator, igitur album per se edificat’. Aliter respondeo huiusmodi determinationes per se vel per accidens possunt sumi dupliciter. Uno modo ut sunt determinationes logice et sunt termini secunde intentionis et sunt determinationes et modi dicendi et predicandi potius quam essendi et sunt determinationes compositionis, et copule et faciunt propositionem esse realiter et implicite de actu signato, et sic accipitur 1 Posteriorum per se primo et secundo modo. Sic etiam dicitur 1 Metaphysice, quod ‘homo sanatur per accidens, sed Socrates sanatur per se’. Notatur enim quedam perseitas predicationis et locutionis in una propositione que non in alia, alio modo possunt esse determinationes et modificationes metaphysicales et denotant modum essendi et sunt termini prime intentionis et sunt determinationes extremi positi in propositione et non faciunt propositionem esse de actu signato. Sed stat quod sit de actu exercito et sic accipitur 5 Physicorum, capitulo 1, ubi dicitur quod “aliquando totum movetur per se et pars per accidens, et aliquando econtra”. Et 4 Physicorum, tractatu de loco, dicitur quod “quedam moventur per se, quedam per accidens seu secundum accidens, et eorum que moventur secundum accidens, quedam nata sunt moveri per se ut partes corporis et clavus in navi. Quedam autem solum per accidens, ut albedo et scientia”. Item, 2 Physicorum, “fortuna est causa per accidens”. Item, 5 Metaphysice, “superficies est primo et secundum te alba, non autem substantia”. Item, 2 De anima, “color videtur per se et non substantia sed per accidens”, et licet in propositionibus predictis sit aliqua perseitas predicationis

enuntiando hoc predicatum de hoc subiecto que non sit in enuntiando idem predicatum de alio subiecto, tamen est etiam perseitas essendi vel causandi et movendi et non est necesse propositione predictas esse tantummodo veras ut sunt de actu signato, sed ut sunt de actu exercito terminis supponentibus personaliter et significative. Ad propositum cum arguitur sic ‘esse calidum est per se causa calefactionis, esse album est esse calidum, igitur esse album est per se causa calefactionis’, si li ‘per se’ accipitur ut est determinatio logica, nec valet deductio, nec concluditur nisi distinctio signorum. Si vero sit determinatio metaphysicalis et prime intentionis non sumitur uniformiter in conclusione et maiore, etsi illa determinatio explicetur apparebit quod non erit forma syllogistica, vel concludentur conclusio vera apud omnes, cum enim dicitur ‘calidum per se calefacit vel est per se causa caloris’ equivalet isti ‘calidum calefacit per calorem’ et eo quod calidum quia li ‘se’ est pronomen relativum et reciprocum, cum autem in conclusione, dicitur igitur album per se calefacit equivalet isti ‘album’ calefacit per albedinem, et in eo quod album, quia li ‘se’ est relativum et antecedens quod refert est li ‘album’. Et ita li ‘per se’ sumitur difformiter et loco alterius determinationis in premissa et in conclusione. Ideo est fallacia accidentis ex identitate termini vel orationis existimare simpliciter identitatem significationis. Sicut arguendo sic ‘hic canis est tuus et est pater, igitur est tuus pater’, li ‘tuus’ enim sumitur difformiter, quia in maiore sumitur possessive in conclusione generative, et productive. Similiter, arguendo sic ‘iste est clericus et est magnus, igitur est magnus clericus’, li ‘magnus’ aliud denotat in conclusione et in premissa. Si vero li ‘per se’ sumatur uniformiter in utraque propositione sequeretur conclusio vera, arguendo sic: ‘calidum est causa calefactionis per calorem et ita in eo quod calidum. Sed album est esse calidum, igitur album est causa calefactionis per [69a] calorem’ et in eo quod calidum et conclusio conceditur. Ad quartam improbationem consequentis per idem arguitur quod esse album non sit esse calidum, sumendo esse nominaliter quod est falsum. Si ens album sit ens calidum, et per idem etiam arguitur sic ‘hoc per albedinem formaliter est album, hoc per albedinem formaliter non est calidum, igitur calidum non est album’. Dicendum quod in isto argumento, quamvis li ‘per albedinem formaliter’ videatur in figura loquendi et in modo enuntiandi esse pars medii et consequenter videatur non esse ponendum in conclusione. Tamen realiter et implicite se tenet ex parte extremi predicati vel copule tamquam determinatio. Ideo debet poni in conclusione. Et conceditur quod album formaliter per albedinem non est calidum formaliter per albedinem. Eodem modo ad argumentum supra positum, cum dicitur esse album datur formaliter per albedinem et hec

locutio est impropria et metaphorica et equivalet isti 'hoc est formaliter per albedinem ens album', et dicendum est ut prius quod li 'formaliter' per albedinem, licet videatur pars medii, tamen implicite et interpretative se tenet ex parte extremitatis et habet poni in conclusione, et infertur quod esse calidum formaliter per albedinem non est esse album formaliter per albedinem, vel quia maior est locutio impropria et potest distingui. Unus sensus est, illud quod est esse album est effectus formaliter causatus per albedinem tamquam per causam formalem, et ita quod esse album sit effectus cuius causa formalis sit albedo, et sic negatur, quia ille effectus est compositum ex subiecto et albedine. Esse autem album non est illud compositum, sed subiectum albedinis cui attribuitur personaliter esse album. Alius sensus est *a* esse album formaliter per albedinem seu quod albedo est forma secundum quam hoc est album, et conceditur et consequenter quod non est per albedinem calidum. Et ex hiis infertur quod album per albedinem non est calidum per albedinem. Si vero esse album sumatur per composito ex subiecto et albedine. Patet supra quid dicendum respondendo ad quintum. Ad confirmationem, conceditur quod effectus per se et adequate formalium causarum distinctarum sunt distincte. Sed esse album et esse calidum non sunt per se effectus formales huiusmodi formarum, nisi in similitudine quadam, quia effectus formalis est compositum ex forma et eius subiecto. Compositum autem ex subiecto et hac albedine precise est per se effectus formalis albedinis, et hoc compositum ex hoc subiecto et hoc calore precise est effectus cuius calor est causa formalis et illa composita demonstrata distinguuntur. Unde difformiter accipitur esse album ut attribuitur subiecto et ut attribuitur composito. Ad quintam improbationem consequentis patet supra respondendo ad secundum contra primam conclusionem. Ad sextam accipiendo sentire et intelligere etc. pro esse sentientem et esse intelligentem etc., conceditur consequens sunt tamen idem per accidens et contingenter sicut idem est ens sentiens, et intelligens et currens. Si autem intelligere et sentire etc., accipiantur tantum pro actibus, negaretur consequentia. Ad improbationem consequentis dicendum quod proprie loquendo sentire, id est esse sentientem non est per sensum, quia hec equivalet isti esse sentientem est ens per sensum, licet sentire, id est sensatio sit per sensum et in sensu. Cum ergo dicimus quod sentire est per sensum, utimur concreto verbali pro abstracto nominali. Contra, homo sentit et est sentiens per sensum, igitur sentire et esse sentientem est per sensum, non autem esse intelligentem. Confirmatur, illud quod convenit homini per sensum non est illud quod non convenit homini per sensum, et illud quod homo est per sensum non est illud quod homo non est per sensum. Sed homini convenit esse

sentientem per sen- **[69b]** –sum et homo est sentiens per sensum, non autem intelligens per sensum. Ad primum, negatur consequentia, sicut non sequitur homo est sentiens per sensus, igitur homo sentiens est ens per sensum. Ad secundum, mutatur quid in quale, licet enim illud quod homo est per sensum non sit illud quod homo non est per sensum, tamen illud quod est tale et taliter se habens per sensum potest esse aliquale et aliquid se habens quale et qualiter se habens non est per sensum, sicut quod est tale per albedinem potest esse tantum quantum non est per albedinem. Cum autem additur quod diligere est liberum, non autem intelligere vel sentire. Si accipitur pro actu non infertur nisi distinctio actuum, si pro esse sentientem et diligentem. Per idem arguitur quod esse hominem diligentem non sit esse hominem, unde distinguenda est ista. Petrum esse diligentem est liberum, sicut ista Petrus diligens potest esse et non esse secundum libertatem Petri, et Petrus diligens est in libera potestate Petri ut sit vel non sit. Ad confirmationem, si sumuntur pro actu negatur, si pro esse odientem et esse diligentem negatur respectu eiusdem. Sed respectu diversorum conceditur tamen per accidens et contingenter sunt idem. Multe autem propositiones, licet possunt habere aliquem sensum verum, quia tamen sunt valde improprie et per accidens sensus in quo secundum communem usum fiunt est falsus et posset esse occasio erroris. Ideo absolute negantur tamquam false, et e contra: aliquae propositiones de vi verbi false, interdum recipiuntur in sermone communi propter similitudinem et proportionem ad quasdam alias ut dicimus, quod Deus intelligit per intellectum et per intelligere non per voluntatem et velle, et quod e contra vult per voluntatem et velle non per intellectum vel per intelligere. Et quod Deus odit per odium non per amorem vel per amare, cum tamen omnia ista sint unicus actus in Deo. Similiter, quod Deus punit per iustitiam et parcit per miseriam non e contra, et quod Deus habet iustitiam et sapientiam, et quod iustitia et sapientia est in Deo. Et non dicimus quod Deus habet Deum vel quod Deus est in Deo pro huiusmodi locutionibus. Unde, Anselmus De casu diaboli, capitulis 5 et 11 et 12. Cum autem arguitur septimo, quod odire et diligere respectu diversorum non sunt idem, quia hoc est prohibitum, illud non. Per idem, arguitur quod Petrum esse hominem homicidam non sit Petrum esse hominem, et Petrum esse hominem iustum non sit Petrum esse hominem. Et quod Petrum ambulare velociter non sit Petrum ambulare, quia hoc potest esse prohibitum et illud preceptum vel concessus vel licitum, et hoc mihi placet et illud mihi displicet. Dicendum igitur quod si *a* esse prohibitum non sit *a* non est contra conclusionem positam, quia non sunt predicationes proprie et directe, sicut ista ‘*a* intelligitur vel est dilectum’. Non enim significant aliquid esse

formale ipsius *a*, sed esse prohibitionis et quod lex et ordinatio talis preceptoria vel prohibitoria est posita. In conclusione autem principali addebatur predicationis proprie et directe vel potest dici quod hec propositio ‘Petrum esse auctorem boni’ est preceptum et ‘Petrum esse percussorem vel esse stante’ est prohibitum vel non preceptum possunt sumi dupliciter, vel in sensu in quo fiunt communiter et quem habent ille propositiones proprie et directe in quas habent resolvi, et per quas habent exponi, et ordinatio facta est in qua formaliter statuatur hominem esse actorem boni. Sed non est facta ordinatio qua formaliter statuatur hominem esse percussorem vel stantem et sic vere sunt. Alius sensus esset, id quod est hominem esse actorem boni est obiectum illius ordinationis preceptorie quod conceditur. Sed cum dicitur Petrum esse stantem vel percussorem non est preceptum. Si intelligitur quod illud quod est hominem esse stantem vel percussorem non est obiectum illius [70a] ordinationis illius negatur interdum in casu quo talis homo est stans vel percussor, tamen hoc est verum improprie, et per accidens et contingenter, et ut nunc nec quatinus stans vel percussor. Sic etiam per accidens et improprie conceditur quod Petrum esse hominem est malum et est modo difforme recte rationi et cuidam ordinationi. Non tamen proprie, quia non est repugnans nec difforme per se ordinationi qua prohibeatur Petrum esse et qua statuatur formaliter quod Petrus non sit, videtur tamen convenientius quod huiusmodi propositiones non concedantur, quia sunt false in sensu in quo fiunt et earum concessio posset esse occasio erroris. Negande sunt igitur habendo in intellectu secundum sensum in quo sunt false et non sunt concedende, nisi cum determinata modificatione. Ad confirmationem, per idem non enim sunt predicationes proprie et directe sicut in superioribus dictum est questione 2 Prologi, respondendo ad 7 contra conclusionem 4, ad illud additum non infertur quod hunc actum esse viciosum non sit hic actus, sicut ‘Petrum esse hominem homicidam’ est ‘Petrum esse hominem’. Et ‘Petrum esse hominem’ attribuitur Deo, non autem ‘esse hominem homicidam’. Dicendum igitur sicut supra ad quartum. Per idem arguitur quod viciosus actus non est actus. Ad octavam improbationem consequentis si esse audientem accipitur pro auditione vel potentia auditiva discursus non valet, si sumitur pro eo quod est Petrum esse audientem vel esse habentem sensum auditus. Sic conceditur consequens, tamen est locutio per accidens et impropria, quia ‘Petrum esse hominem cecum’ est ‘Petrum esse’ et ‘Petrum esse hominem audientem’ est ‘Petrum esse’. Ad improbationem per idem arguitur quod ‘Petrum esse hominem cecum et privatum visu’ non est ‘Petrum esse hominem’. Potest igitur dici quod sicut ‘Petrus carens visu’ habet aliquod bonum naturale secundum

sensum auditus et ‘Petro ceco’ bene est secundum sensum auditus. Ita per accidens et improprie ‘Petrum esse privatum visum’ est quoddam bonum, non quatinus privatus visu neque secundum sensum quo privatur, et sicut ‘Petrus habens auditum’ male habet secundum aliquid et ei male est secundum aliquid, scilicet secundum cecitatem, ita per accidens et improprie Petrum esse audientem est quoddam malum per accidentalem concomitantiam. Sed quia huiusmodi propositiones non sunt proprie nec fiunt in isto sensu secundum communem usum et in communi sermone. Ideo negande sunt et concedendum est quod privari visu est malum, id est privato visu male est quatinus est privatus visu et secundum illum sensum quo privatur, et habere sensum auditus est bonum, quia sensus auditus est bonum naturale et habenti illum bene est secundum illum, et ex hoc non sequitur nisi quod sensus auditus non est cecitas vel per se et proprie loquendo carere visu non est habere auditum, licet per accidentalem concomitantiam et identitatem materiale, vel quod sensus iste non est ille in Petro. Ad nonam, Aristoteles intendit quod *a* movente *b* vel agente in *b*, licet unus et idem sit motus et actus qui est in hoc et qui est ab illo, non tamen sequitur quod *a* movere vel agere sit *a* moveri et pati, tamen si interdum idem moveat et moveatur agat et patiat sicut tunc contingenter et per accidens. Idem est agens et patiens et movens et motum, ita contingenter et per accidens esse agens et esse patiens sunt idem et agere et pati, et licet utraque locutio sit impropria et per accidens, tamen hec est magis impropria agere et pati sunt idem, quia non est ibi nisi identitas materialis et subiectiva que magis denotatur per agens et patiens esse idem, et cum dicitur quod agere est nobilius quam pati. Responsio: ita dicit Philosophus quod agens est nobilius patiente, si igitur termini sumant personaliter non est universaliter verum. Sed intellectus illius dicti est quod ubi agens et patiens di- [70b] –stinguuntur agens est nobilius ceteris paribus vel saltem est nobilius secundum quid quatinus dominans et vicens vel intelligitur quod agere non infert imperfectionem in eodem de quo verificatur sicut pati. Istud etiam argumentum potest reduci contra alios, quia si agere est nobilius, igitur habet determinatum gradum nobilitatis, igitur entitatis, igitur est aliqua entitas demonstrabilis incomplexa. Ad decimam Augustinus accipit concretum pro abstracto, unde ibidem capitulo 6 immediate subdit aliud letitia, aliud tristitia. Et probat quia anima est mutabilis secundum ista et hec conveniunt anime separabiliter, et per hoc intendit ponere differentiam inter animam cui hec conveniunt contingenter et mutabiliter et Deum cui conveniunt identice et immutabiliter et conformiter, si Augustinus alicubi inveniatur dicere quod in creaturis aliud est esse quantum aliud esse coloratum vel etc., accipit concreta pro abstractis vel per huiusmodi

alietatem intelligit contingentiam et separabilitatem per negationem identitatis per se et proprie et necessarie.

Ad septimum principale, contra conclusionem secundam patet ex superioribus, ille enim non sunt predicationes directe, et licet in figura loquendi videantur significare quoddam esse ipsius obiecti formaliter, tamen realiter significant esse legis et ordinationis prohibitorie vel actus punitivi vel vituperantis etc.

Ad confirmationem, patet supra secunda questione Prologi, respondendo ad tertium et quartum contra conclusionem secundam.

Ad octavum principale negatur antecedens. Ad probationem primam, per idem arguitur quod corpus habens albedinem est illud compositum et similiter albedo inherens corpori. Dicendum igitur quod hec est falsa in sensu divisionis, corpus esse album non potest poni sine illo composito. Ad secundam probationem conceditur quod esse terminum ad quem totalem motus alterationis verificatur de utroque, sed aliter et aliter, illud enim compositum non erat prius simpliciter et absolute et capit esse simpliciter per alterationem ut totalis effectus. Sed corpus album vel corpus esse album erat prius et non acquiritur loquendo secundum sensum divisionis, sed iuxta sensum dictum supra respondendo ad secundum.

Ad nonum negatur antecedens. Si a non existente hec sit vera a est a , si vero non sit vera adhuc negatur antecedens per tempore quo a actualiter existit quod tamen non est album. Si vero a non existat nec verum sit a esse a , tunc conceditur antecedens, et negatur consequentia. Nec est simile de affirmativa de negativa, quia veritas negative non exigit existentiam rei significate per subiectum. Ad primam probationem antecedentis, negatur proprie loquendo quod 'Petrum non esse album' ponatur destructo Petro, sicut nec ponitur 'Petrus non ens album' actu nullum enim intelligibile ponitur actu quod sit 'Petrum non esse album'. Ad probationem, quamvis Petro destructo hec sit actu vera. 'Petrus non est albus', non sequitur quod proprie loquendo ponatur 'Petrum non esse album', quia negativa proprie non significat aliquod intelligibile poni. Sed non poni, et ideo veritas eius non exigit intelligibile significatum per eam actu poni, sed sufficit quod intelligibile non ponatur quod poni significaretur per affirmationem, large enim loquendo diceretur poni 'Petrum non esse album', quia non ponitur 'Petrum esse album' et propter non positionem illius intelligibilis verificatur negativa propter cuius positionem

verificaretur affirmativa. Ad secundam probationem, negatur secunda pars antecedentis. Ad primam probationem, conceditur quod '*b* asinus est nullum hominem esse album', quia '*b* est nunc hominem esse album', et est 'non illum hominem esse album' etc. Negatur consequentia, scilicet igitur '*b* est hunc hominem vel aliquem hominem non esse album', nec est locus a toto in quantitate, nec locus a superiori negative cum [71a] utraque sit simpliciter affirmativa, sed sequitur igitur '*b* asinus non est aliquem hominem currere' vel est 'non hunc hominem currere'. Si vero aliquis dicat quod singula res huius universalis *b* est 'nullum hominem currere', sunt iste *b* est 'hunc hominem non currere' etc., tunc negandum est quod *b* sit 'nullum hominem currere' et correspondenter falsum est quod 'nullum hominem currere est *b* asinus', quia falsum est quod '*b* asinus sit hominem non currere'. Et tunc contradictoria istius 'nullum hominem currere est *b* asinus' esset ista 'aliquem hominem currere est *b* asinus'. Sed ista 'nullum hominem currere non est *b* asinus' vel 'non nullum hominem currere est *b* asinus', vel 'aliquem hominem currere non est *b* asinus'. Sed non videtur quod si accipiende sunt singulares illius universalis, quia ipsa est negativa simpliciter. Singulares vero forent affirmative, et quia singulares istius 'nullus homo currens est *b* asinus' non sunt iste 'Plato non currens est *b* asinus' etc. Ad secundam probationem negatur consequentia. Ad primam probationem, verum est si negatio ponitur immediate post copulam. Et ad secundam negatur quia nec 'Petrus est himeram' esse aliquid, nec 'Petrus est himeram' nihil esse.

Ad decimum principale, sumpto antecedente personaliter et supposito quod omnes vel plures homines currant, conceditur antecedens et negatur consequentia, quamvis enim 'Petrus currens' sit idem 'Petro currenti', et 'aliquis homo currens' sit idem 'alicui homini currenti'. Falsum est tamen quod omnis currens sit idem homini currenti, quia Petrus esset idem omni homini currenti, non est igitur similis proportio, quia hic comparatur unum singulare sibi ipsi, ibi autem comparatur unum singulare omnibus vel pluribus aliis. Conceditur tamen quod omnis homo currens et omnem hominem currere sunt orationes convertibiles sumptis terminis personaliter sic quod omnis homo currens est aliquem hominem currere et omnem hominem currere est aliquis homo currens. Si vero solus Petrus currat, tunc licet Petrus sit omnis homo currens, non tamen universaliter concedendum quod Petrum currere sit omnem hominem currere, licet sit omne quod est hominem currere. Unde hoc dictum 'omnem hominem currere' potest exponi per hanc 'omne quod est hominem currere' potest exponi per hanc, 'omne quod est hominem currere' et sic 'Petrum currere' esset tunc 'omnem hominem currere'. Nec sequitur

quod omnis homo currat. Sicut, licet Petrus sit omnis homo currens et omnis homo currens sit aliquis existens in actu, non tamen verum est tunc quod omnis homo sit currens. Si vero exponitur per istas orationes ‘hunc hominem currere’ et ‘illum hominem currere’ etc., vel ‘omne quod est hominem currere’ sic falsum est tunc quod ‘Petrum currere sit omnem hominem currere’. Ad confirmationem per idem. Ad pleniorum intellectum eorum que spectant ad hanc materiam, sciendum quod si propositio categorica affirmativa de inesse sit vera, puta a est b , tunc dictum predicatur de subiecto et econtra, quia a esse b est a ens b et a ens b est a . Si vero sit falsa et impossibilis ut ‘Petrus est irrationalis tunc Petrum esse irrationabile non est Petrus’, nec est aliquid, nec actu neque potentia. Si vero sit falsa, tamen possibilis ut Petrus est albus, tunc Petrum esse album non est aliquid in actu. Sed potest esse aliquid, quia potest esse Petrus et quia Petrus potest esse ens album. Si vero sit propositio negativa falsa ut Petrus non est hoc, tunc Petrum non esse hominem non est aliquid. Sicut Petrus non ens homo seu non idem homini non est tunc aliquid. Si vero propositio negativa sit vera, ut a non est b , aut igitur a est actu, aut non. Si primum tunc a non esse b est aliquid, puta a sive b sit sive non sit. Sicut tunc verum est quod a non ens b , seu non idem b est aliquid. Si vero a non sit in actu, aut igitur non potest esse et tunc a non esse b nihil est actu nec potentia [71b] ut Petrum irrationalem non esse asinum non est aliquid nec actu nec potentia. Aut a non est actu, sed potest esse et tunc aut a potest esse et non esse b et tunc a non esse b est aliquid in potentia, quia possibile est quod a non esse b sit a , et sit idem ipsi a , aut a non potest esse quin sit b , ut Petrus non potest esse quin sit vivens et conservetur a Deo. Et tunc a non esse b non est aliquid in actu nec in potentia, nisi Socrate in sensu divisionis. Hec enim propositio Petrum non vivere seu Petrum non conservari a Deo est possibile videtur distinguenda secundum compositionem et divisionem. Sicut ista Petrus non habens vitam potest esse ens actu seu Petrus privatus vita potest vivere, in sensu divisionis vera est, in sensu compositionis falsa. Ad argumentum in principio questionis patet ex dictis. Ad argumenta contra primam conclusionem.

Secundo circa distinctionem secundam usque ad octavam, quero utrum sola veritas affirmativa sit per se obiectum assensus secundum quem formaliter assentimus quod Deus est unus essentialiter et trinus personaliter. Quod sic, quia illud solum est obiectum alicuius assensus cui per illum assensum assentimus. Sed hec est propositio veridica secundum rem vel secundum apparentiam. Probo quia illi assentimus quod concedimus et illi dissentimus quod negamus. Sed solam enuntiationem concedimus vel negamus, igitur. Contra per assensus fidei assentimus illi

ut per se obiecto cui credimus et quod credimus per huiusmodi assensus, sed hoc est Deus trinus et unus, igitur.

Prima conclusio: per se obiectum assensus et iudicii quo formaliter assentimus vel iudicamus Deum esse trinum personaliter non est hec affirmatio veridica Deus est trinus personaliter, nec est aliqua propositio seu apprehensio complexa significans Deum esse trinum et unum, et conformiter intelligendum est de ceteris iudiciis et de propositionibus illis correspondentibus. Probatur per se obiectum iudicii quo iudico Deum esse trinum est necessarium et eternum. Iudico enim Deum esse eternaliter et necessario trinum. Sed nulla propositio mentalis vel signum complexe significans hoc est necessarium et eternum, igitur. Preterea, per se obiective iudicatum a me per huiusmodi iudicium ponitur extra animam circumscripto opere intellectus. Patet: certus enim sum Petrum currere extra, immo illud ponitur in certo situ et distantia a me. Non autem huiusmodi propositio vel signum complexum. Non dico quod sum certus circumscripto opere intellectus, sed sum certus Petrum esse huiusmodi circumscripto opere intellectus. Preterea, per se obiectum apprehensionis complexe qua formaliter apprehendo Petrum esse est extra, igitur et iudicium, quia idem per se et directe apprehendo et iudico cum apprehendo Petrum esse, et li 'Petrum esse in utraque' tenetur personaliter et per eodem. Preterea, per se obiectum iudicii et assensus preerat mee apprehensioni et assensui et remanebit cessante mea apprehensione vel iudicio. Iudico enim *a* esse illud quod preerat et quod postea erit. Preterea, per se obiectum assensus et iudicii quo iudico *a* fuisse vel fore huiusmodi non est propositio vel apprehensio vel signum complexum formatum vel formabile, igitur nec per se obiectum iudicii quo iudico *a* esse huiusmodi. Antecedens probatur, quia obiective per se iudicatum a me per huiusmodi iudicium est preteritum vel futurum, et non est presens, quia vere iudico obiectum fuisse vel fore huiusmodi et non esse nunc huiusmodi, mea autem propositio et apprehensio est presens. Confirmatur **[72a]** per se obiectum assensus et iudicii recordativi non est propositio quam format sic iudicans, quia per se obiectum recordationis et illud de quo obiective recordor est preteritum. Preterea, per se obiectum iudicii negativi non est propositio negativa, igitur consimiliter de iudicio affirmativo. Antecedens probatur, quia interdum illud nihil est, et accidit illud esse, ut cum iudico Petrum non esse. Preterea, illud quod est per se obiectum iudicii cuiusdam intellectualis est sensibiliter et experimentaliter notum. De eodem enim iudico intellectualiter quod experimentaliter et sensibiliter video, vel vidi et ideo sic iudico et testimonium prohibeo sic esse, quia vidi sic esse,

puta Petrum currere. Confirmatur, quia illud intellectualiter iudico quod apparet mihi et bruto, et quod estimatur per brutum. Preterea, idem iudico hodie quod heri quando iudico et credo Deum esse trinum, sed non iudicarem idem, quia non eadem est propositio formata a me heri et hodie. Preterea, idem est per se obiectum iudicii mei et iudicii tui. Iudicamus enim omnino idem et testimonium prohibemus super omnino eadem, sed non est eadem propositio mei et tui, nec eadem cognitio, quia nihil cogitas de actibus meis. Unde nulli duo idem iudicarent et crederent, nec super eodem testimonium prohiberent. Preterea, de illo eodem de quo prius dubitabam sum modo certus, sed non eadem est apprehensio complexa nunc et prius, quia nunc est intuitiva et evidens. Ideo enim sum certus, quia intuitive cognoscitur modo sic esse. Preterea, eidem obiective assentio cui Plato dissentit. Sed Plato non dissentit per se obiective propositioni formate a me, quia de me nihil cogitat, igitur. Maior patet, cum non assentio quod Petrus est albus et Plato dissentit, contradicimus nobis, et sunt iudicia contraria. Igitur iste assensus et ille dissensus sunt respectu eiusdem, si dicatur quod nunc iudico idem quod prius vel idem quod Plato vel illud cui Plato dissentit non quia per se immediatum obiectum utriusque iudicii sit formaliter idem. Sed quia est equivalenter idem, quia propositiones ille, quibus per se et immediate obiective assentimus, significant idem. Propositio autem per se est obiectum assensus, non ut est quedam qualitas naturalis, sed ut est signum et exemplar et imago alterius. Contra, si ideo dicimur iudicare idem equivalenter, quia significatum illorum complexorum est idem. Aut igitur huiusmodi iudicia feruntur obiective tantum super illud significatum non super huiusmodi propositiones, aut super propositiones tantum, et non super significatum ipsarum, aut super utrumque simul. Si primum, propositum. Si secundum, contra: tum quia superfluum est ponere utrumque. Ex quod enim significatum extra est natum esse per se obiectum assensus sufficienter poterit poni obiective iudicatum ex parte significati. Sicut enim significatum extra est totale et sufficiens obiectum apprehensionis complexe, qua apprehendo Petrum esse hic pari ratione poterit esse obiectum sufficiens iudicii conformis. Idem enim apprehendo et iudico, cum apprehendo et iudico Petrum esse hic, tum quia partim iudicarem idem, partim diversa et iudicarem, partim sic esse extra animam. Tum quia non contradiceremus nobis, nec essent iudicia contraria diversorum hominum si secundum, igitur nec formaliter nec equivalenter iudicamus idem. Sed omnino diversa, sicut actus nostri omnino sunt diversi, immo alterius rationis quia unus est assensus, alter dissensus. Unus est certitudo, alius dubitatio. Unus apprehensio clara, alius est apprehensio obscura. Item, contra responsionem. Si huiusmodi

iudicium est obiective respectu *a* signi complexi existentis in mente. Aut igitur intellectus iudicans utitur *a* complexo propter se ibi sistendo et terminando iudicium, aut non scilicet pro alio et per significato, si secundum propositum, quia significatum esse principa- [72b] –le obiectum assensus, et est illud quod ultimate iudico, et cui obiective terminative assentio. Si primum, contra: tum quia sequitur quod neque formaliter neque equivalenter idem iudico nunc et heri, quia omnino aliud et aliud obiectum; nec intellectus ut iudicans utitur illo ut signo, sed ut ultimato terminatio iudicii, et tu et ego iudicamus omnia diversa situ distantia, et nullo modo idem. Tum quia falsum esset iudicium quo iudicarem Deum esse trinum et unum, quia per illud iudico illud esse obiective trinum et unum, quod est in anima non res ad extra. Hoc autem est falsum. Unde, arguitur sic: illud est obiectum huius iudicii de quo obiective iudico ipsum esse trinum et unum, sed res extra est huiusmodi, quia de illo obiective iudico ipsum esse trinum et unum, quod est realiter trinum et unum, alioquin deciperer. Sed solus Deus existens extra animam et nihil aliud est trinum et unum etc., igitur. Item, contra responsionem, quia proportionabiliter et uniformiter iudicamus illud sicut apprehendimus illud, sed apprehendimus idem formaliter cum ego apprehendo Petrum esse in tali loco, et tu similiter et testimonium prohibemus super eodem numero formaliter. Preterea, illud de quo iudicamus est obiectum vel pars obiecti, sed illud est res extra significata, quia de hoc demonstrato in hoc loco iudico ipsum esse huiusmodi. Preterea, Petrum esse album est per se obiectum iudicii, et est id cui obiective assentio. Sed Petrum esse album non est signum complexum veridicum, sed intelligibile extra animam. Probo, quia est prius et causa veritatis complexe, secundum Aristotelem in Predicamentis, capitulo de priori, et 9 Metaphysicae. Non propter numerum vere existimare te esse album, tu es album, sed propter te esse album nos hoc dicentes verum dicimus. Probatur iterum, quia causa naturalis facit Petrum esse album, non autem facit propositionem.

Secunda conclusio: hec affirmatio veridica ‘Deus est trinus personaliter’ non est obiectum totale neque partiale iudicii vel assensus quo formaliter et adequate iudicamus, et assentimus Deum esse trinum et unum probatur ex multis mediis supra positis. Preterea, sit *a* complexum mentale seu apprehensio complexa, per quam formaliter et adequate apprehendit intellectus, quod binarius est par. Tunc sic possibile est intellectum iudicare et assentire binarium esse parem ipso *a* non cognito, igitur *a* non est obiectum totale, nec partiale huius iudicii, vel assensus. Consequentia patet, quia intellectus iudicaret obiectum non cognitum. Antecedens probatur, quia circumscripta omni notitia reflexa ipsius *a* non cognoscitur *a* ab

intellectu in quo est, ut nunc supponitur et probatur alibi. Sed possibile est intellectum habentem *a* actum iudicare binarium esse parem circumscripta omni alia notitia reflexa ipsius *a*, igitur possibile est iudicare binarium esse parem ipso *a* non cognito. Secunda pars antecedentis probatur, quia intellectus evidenter cognoscens et binarium esse parem, aut assentit naturaliter et necessario, aut assentire potest circumscripta alia notitia priori quam sit iudicium illud, sicut enim intellectus apprehendens hominem esse asinum dissentit naturaliter, ita de contrario sensu. Si enim clara et evidens et certa notitia quod sic est non sufficiat ad iudicandum et assentiendum sic esse, nullum principium erit per se notum et nulli intellectui erit per se notum sic esse, sicut significatur per principium, quia ad assentiendum requireretur alia notitia. Sed intellectus per *a* actum evidenter cognoscit binarium esse parem. Supponantur enim talis apprehensio qualis est de per se, et ex se notis, igitur preterea esto quod *a* esset formaliter notitia suiipsius, adhuc iudicium quod formaliter adequate iudico hunc binarium esse parem non habet *a* pro aliquo sui obiecto, quatenus est huiusmodi iudicium. Probo primo, quia *a* quatenus est notitia sui non est notitia veridica, nec falsidica. Si enim esset veridica, tunc omnis notitia complexa esset veridica, et si esset falsidica sequitur quod omnis propositio mentaliter esset falsidica, quia quelibet est equaliter, et uniformiter apprehensio sui, et conformis sibiipsi.

Secundo, quia totale obiectum illius iudicii est binarium hunc demonstratum esse parem. Sed *a* non est bi- [73a] –narium hunc esse parem, nec pars eius, quia signum eius ut significati extrinseci, igitur.

Preterea, si *a* est obiectum parziale alicuius iudicii, quo intellectus iudicat de paritate binarii maxime videretur de iudicio quo intellectus iudicat quod *a* complexum est verum, vel conforme rei extra seu suo significato vel aliquod equivalens. Patet, non enim est obiectum totale huius iudicii. Si igitur est parziale obiectum aliquid sibi attribuitur, vel ipsum alteri in habitudine ad binarium, quod non videtur nisi quod est verum, et conforme tali significato. Sed illud iudicium non est iudicium quo formaliter et primo iudicatur binarium esse parem. Sed est iudicium posterius et presupponens assensum quo formaliter assentio binarium esse parem. Probo multipliciter primo binarium esse parem est signum complexum hoc significans esse verum, et unum est prius, et causa alterius, secundum Aristotelem in Predicamentis, igitur respectu eorum nati sunt esse diversi assensus et diversa iudicia respectu enim diversorum obiective cognoscibilium complexe et veridice nati sunt esse varii assensus.

Item, quod unus assensus sit prior et causa patet quia ideo iudico et assentio *a* complexum esse verum vel esse conforme suo significato, quia assentio et iudico binarium esse parem iudicare enim hoc signum esse conforme rei, presupponit iudicium quo iudicatur sic esse a parte rei sicut de complexo vocali vel scripto, si iudicetur esse verum. Item, diversis propositionibus, quarum una est naturaliter prior et notior altera, et dicit propter quid respectu alterius correspondent diversi assensus et iudicia, alioquin non esset alius habitus correspondens conclusioni et principio. Hec propositio seu apprehensio ‘binarius est par’ qua sit *a*, et hec propositio *a* complexum est veridicum seu conforme rei sunt diverse propositiones. Patet primo, quia predicatum unius non est idem cum predicato alterius, nec subiectum cum subiecto, quia esse verum est predicatum unius nec est convertibile cum subiecto. Sed commune omni propositioni vere. Patet etiam, quia in propositionibus vocalibus vel scriptis correspondentibus aliud est subiectum in hac et in illa. Item, subiectum huius est predicabile de genere substantie interdum. Subiectum autem illius vel predicatum de genere qualitatis vel relationis. Subiectum etiam huius et predicatum sunt termini prime intentionis. Sed illius sunt secunde intentionis, huius etiam supponunt pro rebus extra illius autem pro actu anime. Secundo, quia circumscripto intellectu ponitur ita esse in re sicut significatur per istam. Non autem ita ponitur sicut per alteram significatur. Tertio, quia una spectat ad scientiam arismetice, altera ad scientiam logice, secundum quod hoc complexum sit verum. Hic enim terminus veridicum spectat ad logicam, et causat assensum mediante medio logico communi omni propositioni vere, scilicet quia est conforme suo significato.

Quarto, quia contingit quod una sit apprehensio singularis et intuitiva respectu singularis demonstrati intuitive cogniti, puta hoc *a* est verum. Altera autem est apprehensio universalis.

Quinto, si eadem est propositio, et apprehensio in mente, quod binarius est par qua sit *a* et quod *a* est propositio vera, igitur pari ratione, et quod *a* est propositio categorica affirmativa universalis vel indefinita etc., vel quod non est falsa, nec negativa etc. Consequens est falsum, quia predicata sunt diversa, et quia una est affirmativa et altera negativa.

Sexto, pari ratione eadem erit apprehensio homo est asinus, qua sit *b* et quod *b* non est vera, nec conformis rei. Consequens est falsum, quia una est affirmativa, et [73b] falsa, altera est negativa et vera. Consequentia probatur, quia formata *b* non minus est evidens ipsam esse falsa quam formata *a* evidens est *a* esse veram. Ex istis patet quod quamvis *a* propositio mentalis

esset formaliter seipsa apprehensio sui adhuc non esset apprehensio per quam formaliter apprehenditur *a* esse verum. Et confirmatur, quia omnis propositio vera formata in mente cognosceretur formaliter seipsa esse vera. Consequens est falsum, quia contingit intellectum habentem illam esse dubium vel neutrum, de hoc consequentia probatur, quia qualibet erit equaliter et uniformiter notitia intuitiva suiipsius, igitur non est ratio quare una ostendat formaliter seipsam esse veram magis quam alia ex hoc quod est notitia sui. Item, propositio contingenter vera non est apprehensio qua apprehenditur esse vera contingenter, igitur pari ratione nec de alia, quia non minus erit notitia sui hec quam illa. Antecedens probatur, quia ipsa eadem manens potest nunc esse vera, nunc esse falsa propter mutationem in re. Patet igitur multipliciter quod huiusmodi apprehensionis sunt distincte, quod autem una sit prior et notior, et causalis respectu alterius. Probatur ideo enim *a* signum complexum est verum, quia binarius est par, et ideo prima est vera, quia secunda est vera, et prima est demonstrabilis per secundam, quia ab eo quod res est vel non est oratio dicitur esse vera, vel falsa, et in predicamentis capitulo de priori, prius natura est hominem esse quam orationem hoc significantem veram esse. Et 9 Metaphysice non propter nos vere etc. Ex his patet quod quamvis qualibet notitia intellectus esset formaliter notitia intuitiva sui adhuc assensus, quo formaliter assentio binarium esse parem non esset assensus quo formaliter assentio *a* complexum esse verum, et per consequens ille assensus ut est assensus quod binarius est par, non habet *a* pro obiecto.

Contra duas conclusiones: primo, assentio et iudicio quod binarius est par et assensus seu iudicium est respectu eius quod binarius est par. Sed quod binarius est par est propositio, igitur. Confirmatur, illud est obiective creditum et iudicatum quo convenienter respondetur ad questionem qua queritur de aliquo quid credit et iudicat, sed convenienter respondetur per hoc complexum, immo per nihil aliud convenientius respondetur, puta cum respondetur quoniam credit et iudicat quod binarius est par. Secundo, intellectus non assentit nisi vero simpliciter vel apparenter, nec dissentit nisi falso simpliciter vel apparenter id est ei quod est vel apparet verum vel falsum, sed solum complexum est verum vel falsum. Veritas enim et falsitas sunt proprietates signi complexi, igitur. Maior probatur, quia aut iudicando erramus, et decipimur, et tunc iudicamus falsum, aut non, et tunc iudicamus verum. Et confirmatur per Augustinum, Enchiridione 17, “non est conveniens ut continuo aliquis erret, si aliquid nescit, sed quisquis existimat se aliquid scire quod nescit pro vero, quippe approbat falsum, quod est erroris officium et proprium”. Confirmatur, sicut bonum et malum ad voluntatem, sic verum et falsum circa

intellectum, sed voluntas non consentit nisi bono simpliciter, aut secundum quid seu existentis aut apparentis, igitur. Si distinguitur de vero, ut est passio signi complexi, et ut est passio entis convertibilis cum ente. Contra, quia himeram esse figmentum vel nihil esse, nec posse esse non est ens hoc esse tale et esse tantum, et tamen assentio quod himeram nihil est et quod b fuit et non est, igitur si verum est cui assentio et non verum quod est ens, sequitur quod verum complexum. Confirmatur, concedis id cui assentis et negas illud cui dissentis. Sed non concedis nisi complexum quod apparet tibi verum [74a] nec negas nisi complexum quod apparet tibi falsum.

Tertio principaliter, intellectus assentit naturaliter ei quod est per se notum et evidens, sed multe propositiones ex actibus nostris sunt per se note et evidentes circumscripta reflexione, igitur illis intellectus obiective assentit. Maior patet quia notitia certa et evidens, vel est assensus vel sufficiens causa assensus respectu evidenter noti. Tali enim intellectus assentit propter se. Minor probatur de principiis scientiarum per se notis. Confirmatur, intellectus non assentit naturaliter nisi ei quod est per se notum vel ex per se notis deductum vel ex probabilibus, sed huiusmodi sunt principia et conclusiones illate, igitur. Quarto, sit *a* hoc complexum binarius est par, tunc sic. Assensus quo assentio et iudico *a* esse verum est obiective respectu ipsius *a* complexi, igitur et assensus quo assentio quod binarius est par. Consequentia probatur, quia idem assensus et iudicium est quo assentio quod binarius est par, et quo assentio hoc complexum esse verum. Probo primo, quia si sint assensus diversi, et respectu diversorum, igitur possibile est istum esse sine illo, igitur esse cum opposito dissensu, et ita idem poterit simul assentire quod binarius est par, et dissentire hoc complexum esse verum, et assentire quod est falsum. Probo, quia non erunt assensus et dissensus contrarii. Sed tantum disparati, quia respectu obiectorum disparatorum etiam situ distantium, quorum unum est sine alio. Secundo, probatur quia idem est binarium esse parem et verum esse binarium esse parem, si enim non sunt idem, igitur unum esset prius et causa alterius, sed hoc est falsum, quia nullo genere cause patet inductive. Quinto, assensus fidei catholice est respectu propositionum, igitur pari ratione de aliis. Antecedens probatur, quia per assensum fidei credimus articulis fides, puta quod Christus resurrexit, sed articulus est propositio vera et credibilis, et numerantur secundum numerum quarumdam propositionum.

Sexto, assensus conformis et correspondens propositioni particulari vel indefinite significanti immediate res extra non est obiective respectu rerum significatarum, sed respectu

complexi, igitur pari ratione de assensu universali vel singulari. Antecedens probatur, quia formato isto complexo ‘aliquis homo dormit vel currit’ potest aliquis assentire, non autem assentit obiective alicui extra significato per illam. Probo quia de nullo homine singulari demonstrabili scit, vel assentit ipsum dormire. Quero, igitur, quod est illud obiective cui assentit, si illud complexum habet propositum, si hunc singularem hominem demonstratum dormire, aut illum. Contra, quia nec de hoc credo ipsum dormire, nec de illo: aut hunc hominem et illum dormire. Et patet quod non, aut hunc vel illum, et hoc non, quia non format disiunctivam. Et quia adhuc restat questio de obiective iudicato, quia vel est quodlibet significatum per partes disiunctive, vel nullum, vel aliquod et aliquod non. Et patet quod non, aut est propositio disiunctiva et habetur propositum.

Ad primum. Est paralogismus accidentis, quia hoc quod dico binarius est par in maiore stat personaliter et significative, et in minori stat simpliciter et materialiter. Ad confirmationem, illud per quod convenienter respondetur, potest dici et ipsa responsio seu dictum responsale vel significatum per se per illam. Si primo modo, negatur maior quia tunc hec vox ‘Iohannes esset causa homicidii’ quia queritur quis fecit homicidium convenienter respondetur Iohannes. Si secundo modo negatur minor. [74b] Ad secundum, verum et falsum possunt sumi ut sunt passionis propositionis. Alio modo, ut verum est passio entis et falsum non entis apparentis, tamen esse huiusmodi, ut *a* dicitur verum aurum et *b* dicitur falsum aurum, et proprie loquendo potest dici quod verum secundo modo est passio obiective significabilis, quatenus significabile per complexum verum et falsum est passio obiecti significabilis ut significabile per complexum falsum, ut si ‘Petrus est Petrum esse’ est verum, quia est ens sic significatum. Sed si ‘Petrus non est Petrum esse’ est falsum. Unde, Aristoteles 5 Metaphisice, capitulo de ente, dicit quod “esse et ens uno modo significat, quia verum non esse, aut quia non verum sed falsum”. Similiter autem est in affirmatione et negatione, et capitulo de falso dicit, quod falsum dicitur uno modo res falsa, et huiusmodi hoc quidem per non componi, ut te sedere, aut per impossibile esse componi, ut diametrum esse comensurabilem, alia vero dicuntur falsa, qua sunt quedam entia et apta nata videri. Sed non qualia sunt ut somnia et umbratica. Hec enim sunt aliquid, sed non quorum faciunt fantasiam. Res igitur false dicuntur, aut quia non sunt ipse, aut quia ab eis fantasia esset, hec Aristotelem. Et consequenter loquitur de falsitate orationis. Ad rationem igitur accipiendo verum ut est proprietas signi complexi. Negatur maior, licet possit reduci in aliquam veram. Intellectus enim non assentit nisi habeat apprehensionem veram realiter vel

apparenter, id est nisi vel appareat secundum illam, et sic esse sicut significatur per illam, et in hoc sensu accipiende sunt huiusmodi propositiones, scilicet secundum sensum intransitivum. Sed ille modus habuit ortum ex communi imaginatione, qua homines imaginantur propositiones esse obiecta apprehensionis complexe, quo modo imaginantur obiecta universalia correspondere intentionibus universalibus. Ideo communiter dicimur intelligere universale, quia intelligimus universaliter per intentionem universalem. Sumendo autem verum secundo modo sic proprie sumendo verum ut est ens, adhuc negatur maior, quia de non entibus formantur apprehensiones et iudicia vera, tamen improprie et in similitudine et transumptione conceditur, quia sicut dicimus quod quacumque propositione vera demonstrata, ita ponitur in re sicut significat, ita dicimus esse verum et ens hoc esse vel non esse, huiusmodi tamen proprie non oportet quod sit ens. Ad tertium, aliquid esse per se notum et evidens intellectui dicitur dupliciter, vel proprie scilicet obiective et transitive, et sic negatur minor. Alio modo improprie et intransitive non obiective, quia est notitia certificans et evidenter notificans sic esse, et evidenter notum faciens anime, et sic solet dici propositio per se nota, que ita evidenter ostendit sic esse quod intellectus habens illam assentit naturaliter sic esse, circumscripta alia notitia, et sic est intelligendum dictum commune, quo dicitur de principiis quod sunt propositiones per se note. Tamen magis proprie dicerentur per se notificantes, et per se evidenter certificantes, vel possunt dici per se note, quia si anima velit de illa iudicare, statim notum est illam esse veram, et prius tamen notum est sic esse in re, hoc secundo modo negatur maior, si intelligitur universaliter. Ad quartum, negatur consequentia. Ad probationem negatur assumptum. Ad primam probationem dicendum quod evidens est naturaliter omni intellectui, quod si ita est in re propositio enuntians sic esse est vera, et est consequentia necessaria et evidens. Ideo, naturaliter impossibile est assentire sic esse in re, et dissentire signum complexum esse verum vel assentire esse falsum, quia virtualiter contrariantur.

Ad secundam probationem. Non est simpliciter et proprie realis causalitas, sed in similitudine et propor- [75a] -tione, et posset reduci ad causalitatem materiale[m] circa quam, vel ad causalitatem effectivam quia sic esse in re videtur quasi conservativum veritatis, et quia habitudo obiecti ad notitiam veram est quasi habitudo mensure ad mensuratum 5 Metaphysice. Mensura autem quantum est ex se, si generaret notitiam sui in intellectu disposito imprimeret veram representationem et similitudinem sui et sibi conforme. Posset etiam reduci ad causalitatem formalem, quia sic esse in re est quasi illud per quod propositio denominatur vera,

et ad illius variationem variatur huiusmodi denominatio, et ponitur in diffinitione veri. Ad quintum, assensus fidei potest esse respectu propositionum que dicuntur articuli et respectu significati per illas. Sed sunt varii assensus respectu diversorum, licet uterque sit sensus catholicus et veritas unius inferat evidenter veritatem alterius, tamen assensus quo assentio formaliter et directe Christum resurrexisse non est per se respectu complexi.

Ad sextum negatur antecedens. Ad probationem dicendum quod illud cui obiective assentitur per illum assensum non potest convenientius explicari, quam per hanc orationem hominem dormire vel aliquis homo dormit, quia sunt orationes quibus conformiter correspondet ille assensus, ut signa adequata et conformia. Cum autem queritur quod est illud intelligibile vel illud ens vel illa res cui assentio etc. Respondeo, questio hec potest varie intelligi. Aut enim queritur quod est illud intelligibile, quod obiective representatur per illum assensum vel ad quod terminatur obiective ille assensus et sicut dicendum quod omne illud intelligibile ad quod terminatur obiective illa apprehensio complexa cui correspondet et est conformis. Et potest dici quod illud intelligibile est hunc hominem dormire, et illum hominem dormire et sic de singulis que sunt intelligibilia entia actu vel potentia, nec sequitur igitur per assensum illum assentio formaliter hunc hominem dormire, quia hec propositio importaret, quod habeo assensum singularem conformem huic propositioni ‘hic homo dormit’, et quia determinate et distincte iudico ‘hunc hominem dormire’, nec etiam sequitur quod ad veritatem illius iudicii et assensus requiratur ‘hunc hominem dormire’, quia ‘hunc hominem dormire’ significatur per huiusmodi apprehensionem, vel assensum confuse et indefinite vel particulariter, sic quod nullum illorum significatorum requiritur ad veritatem illius apprehensionis et iudicii et quodlibet sufficit, aut ad eius veritatem requiritur hoc vel illud animal dormire. Si vero questio intelligitur, quod est illud ens vel illud obiectum intelligibile pro quo verificatur ille assensus, et quod sic se habet qualiter se habere verificat sufficienter huiusmodi iudicium. Dicendum quod ‘illum hominem dormire’ qui realiter dormit, nec sequitur quod assentias formaliter ‘hunc hominem dormire’, sicut nec apprehendis formaliter ‘hunc hominem dormire’, licet illud quod est ‘hunc hominem dormire’ sit aliquo modo significatum per illam communem apprehensionem. Unde argumentum potest reduci contra alios ponentes quod huiusmodi obiectum est complexe significabile representatum per huiusmodi assensum, quia obiective iudicatum erit complexe significabile pro quo verificatur illud iudicium. Sed ‘Petrum dormire’ est complexe significabile pro quo verificatur illud iudicium, igitur ‘Petrum dormire’ erit intelligibile obiectum per se iudicatum per illud

iudicium, igitur per [75b] illud iudicium tu iudicas Petrum dormire, quod est falsum, quia ut ipsi arguunt tu iudicares et dubitares idem.

Tertia conclusio: per se obiectum assensus et iudicii quo formaliter assentitur et iudicatur quod Deus est trinus personaliter est intelligibile significatum per huiusmodi complexum veridicum, puta Deum esse trinum sumendo dictum personaliter et significative et conformiter de ceteris propositionibus ex actibus rectis rerum extra et de assensibus et de iudiciis correspondentibus. Probat, quia vel est ipsamet propositio vel eius significatum. Non primum, patet supra.

Preterea, ad hoc sunt rationes multe posite ad primam conclusionem. Preterea, illud est per se et directe obiectum assensus et iudicii, quod est per se directe obiectum apprehensionis veridice causantis immediate illum assensum, aut qui propter sui evidentiam est ille assensus. Illud enim apprehendo per huiusmodi apprehensionem iudico. Sed illud est significatum apprehensionis, ut cum apprehendo et iudico 'Petrum esse album'. Preterea, apprehendat et iudicet Petrus quod *a* est huiusmodi, et consequenter velit *a* esse huiusmodi. Tunc sic *a* est per se obiectum iudicii et volitionis consequentis et conformis. Idem est enim per se obiectum dictaminis et volitionis conformis illi dictamini, sed significatum propositionis et non propositio est per se obiectum illius volitionis, quia per huiusmodi volitionem volo *a* substantiam huiusmodi esse extra animam. Probat etiam de nolitione et odio correspondente, quia contingit quod assentio *a* esse huiusmodi, et odio et nolo *a* esse huiusmodi sed mea propositio non est nolita vel odita a me. Sed libere et complacenter formatur et conservatur, obiectum autem iudicatum est nolitum et oditum. Confirmatur, dicat et assentiat intellectus *a* fore vel fuisse huiusmodi et voluntas desideret vel speret vel timeat *a* fore huiusmodi. Tunc idem iudicatur ab intellectu et desideratur vel speratur vel terminetur a voluntate. Sed non huiusmodi complexum presens igitur. Preterea sic est de obiecto fidei probatur super illud Ephesios 4, "Unus Deus, una fides" glossa: "aliud sunt ea que creduntur, aliud fides qua creditur illa, quippe in rebus sunt, que vel esse vel fuisse vel futura esse creduntur. Fides autem que creditur in animo credentis est que in fidelibus una est, non numero, sed genere quia similis". Et iterum ibidem "fides dicitur illud quod creditur, et illud quo creditur, si accipitur pro eo quod creditur sensus est una est fides, quia iubemur idem credere et unum, et idem est quod creditur a cunctis fidelibus". Hec accipiuntur ab Augustino, 13 De Trinitate, capitulo 12 et idem 14 De Trinitate, capitulo 8.

Quarta conclusio: per se obiectum adequatum iudicii et assensus quo formaliter et adequate assentit, et iudicat intellectus quod Deus est trinus personaliter non est aliquod intelligibile significabile complexe distinctum ab omnibus rebus et entibus significabilibus incomplexis. Probatur, quia per se obiectum est intelligibile significatum per huiusmodi dictum ‘Deum esse trinum, sed hoc est Deus ens trinus’, nec est intelligibile distinctum ab omnibus rebus incomplexis significabilibus, ut probatum est multipliciter in superioribus.

Preterea, quod propter actus iudicandi non oporteat ponere tale intelligibile significabile complexe distinctum ab entibus incomplexis significabilibus. Probo, idem omnino intelligibile significabile complexe correspondet certitudini et dubitationi vel ignorantie in eadem, igitur propter huiusmodi differentiam actuum non oportet ponere differentiam obiectorum complexe significabilium correspondentem. Antecedens probatur, quia iudico ‘Petrum esse coloratum’, non tamen iudico. Sed dubito ipsum esse album, licet in re ‘Petrum esse coloratum sit Petrum esse album’, et econtra. Similiter credo ‘Petrum esse album’, sed ipsum esse album in quarto gradu dubito [76a], licet contingat quod in re sunt actu idem. Similiter, iudico aliquem hominem currere, et dubito Petrum currere, licet Petrum currere sit quemdam hominem currere. Similiter, certus sum astra esse, sed dubito astra paria esse, dubito etiam astra imparia esse, tamen in re astra esse est astra paria esse vel imparia esse, quia astra vel sunt astra paria, vel sunt astra imparia, igitur idem obiective correspondet variis differentiis iudicii.

Item, ‘hominem esse risibilem’ non esset ‘animal rationale esse risibile’, quia hoc est mihi evidentius quam illud quia se habent ut conclusio et principium.

Contra duas conclusiones ultimas sequitur quod fides nostra est de nihilo, et per eam credimus nihilo, quod est falsum, quia esset vana. Consequentia probatur, quia contingit significatum extra nihil esse, puta quia resurrectio vel iudicium erit. Secundo sequitur quod aliquod iudicium est verum et tamen iudicatum per illud est impossibile, et quod aliquod iudicium est falsum, et tamen obiectum per se iudicatum per illud esset necessarium. Probo, quia formata ista ‘Petrus est asinus’ dissentit intellectus, et iste dissensus est iudicium verum, quia est iudicium contrarium assensui falso quo quis assentiret ‘Petrum esse asinum’, et tamen ‘Petrum esse asinum’ est impossibile et econtra formata ista ‘Petrus non est asinus’ intellectus dissentiat, iste dissensus erit iudicium falsum et per se obiective iudicatum erit necessarium. Tertio, specialiter contra quartam conclusionem. Illud est sufficiens et conveniens obiectum

iudicii, et assensus quo convenienter respondetur ad interrogationem qua queritur quid homo credit et iudicat et cui assentit, et non illud quo non convenienter respondetur. Sed nulla re extra mere incomplexo significabili respondetur convenienter. Non enim convenienter dicitur assentio lapidi vel iudico et credo lapidem, sed lapidem esse vel esse huiusmodi. Quarto, sequitur quod iudicans credens et assentiens quod Deus est trinus, et iudicans quod Deus non est trinus iudicarent et crederent omnino idem, et assentirent precise et penitus eidem. Consequens est falsum, quia iudicata repugnant, sicut et iudicia sunt contraria, et quia infidelis non omnino credit idem cum fidei, et quia consequenter volens *a* esse huiusmodi et volens *a* non esse huiusmodi vellent omnino idem quod est falsum, quia volita se interimunt, et unus per velle suum tolleret id quod alter poneret, et quia idem esset *a* esse, et *a* non esse. Consequentia principalis probatur, quia totale obiectum primi assensus erit res que est Deus, obiectum autem secundi assensus non erit propositio, nec aliquod significabile complexe distinctum a rebus incomplexo significabilibus secundum te, igitur non erit nisi res, que est Deus. Confirmatur, sequitur quod iudicia contraria sibi contradicentium erunt simul vera. Probo, quia non minus ponitur in re extra obiectum iudicatum per unum, quam obiectum iudicatum per alterum. Probo, quia iudicii quod Petrus est Paulus et iudicii quod Petrus non est Paulus: totale obiectum non erit nisi res que sunt Petrus et Paulus, et hec ponuntur extra animam.

Quinto, sequitur quod tu assentis simul et dissentis omnino et precise eidem et simul credis et discredis eidem. Consequens est falsum, non enim credis illud quod discredis, et quia assentire alicui et dissentire eidem sunt opiniones contrarie ex 4 Metaphysice. Consequentia probatur, quia si assentis quod Deus est, et dissentis quod Deus non est obiectum non erit nisi res que Deus est, quia non aliqua alia **[76b]** nec propositio, nec complexe significabile distinctum ab intelligibilibus incomplexo significabilibus secundum te. Per idem arguitur quod firmiter dissentis et discredis Deo, quia formato hoc complexo Deus non est finitus non minus firmiter dissentis et discredis quam credas formato hoc complexo Deus est Deus. Confirmatur, sequitur quod simul scis et opinaris et ignoras et dubitas omnino idem, et quod circa idem et respectu eiusdem simul habes certitudinem et erras et deciperis. Probo: scis Deum esse et opinaris ipsum esse intelligentem extra se, et credis ipsum esse trinum personaliter et erras credendo ipsum esse finitum secundum potentiam, et obiectum totale cuiuslibet istorum non erit nisi res extra que est Deus.

Dices: licet idem obiectum sit, tamen sub alia et alia ratione. Contra: aut hec alia et alia ratio se tenet formaliter ex parte obiective iudicati, et habetur propositum, aut non, igitur non iudicatur sub alia ratione. Et ultra sequitur quod iudicia et volitiones contrarie sunt respectu omnino et precise eiusdem non comparati ad diversa, quia intellectus et voluntas non comparant illud ad suum actum circumscripta reflexione.

Sexto, sequitur quod credis et assentis diabolo ita firmiter sicut Deo. Probo, quia formato isto complexo diabolus est diabolus, non minus credis et assentis quam credas formato isto Deus est Deus. Sed obiectum illius iudicii primi non erit nisi res que est diabolus, sicut obiectum secundi assensus est res que est Deus, igitur.

Septimo, dissensus veri de re extra obiectum totale, et adequatum non est aliqua res extra incomplexo significabilis: igitur nec assensus veri de re extra. Consequentia patet, si enim res extra sit totale obiectum assensus, quo assentio Deum esse Deum pari ratione, et dissensus qua dissentio Deum non esse Deum, huiusmodi enim dissensus veri non erit per se obiectum alia res a Deo. Antecedens probatur, quia aliter licite possem odire Deum. Probo, quia formata ista 'Deus est ens finitum' et me dissentiente tunc idem odio et detestor cui dissentio, et idem est obiectum odii et dissensus. Patet, quia idem dictum est conveniens explicatio eius quod odio et cui dissentio. Si igitur totale obiectum assensus est res extra que est Deus, sequitur quod est obiectum odii liciti. Unde, potest sic argui. Dissensus conformis uni parti contradictionis non habet pro obiecto totali rem extra, igitur nec assensus conformis alteri parti contradictionis. Consequentia patet, quia idem formaliter vel equivalenter iudicatur per utrumque, si enim assentio et credo Petrum esse album, et tu dissentis et discredis ipsum non esse album, sequitur quod idem formaliter vel equivalente credimus. Antecedens probatur ut prius. Octavo, si res extra incomplexo demonstrabilis sit sufficiens et completum obiectum iudicatum, sequitur quod habita sola notitia incomplexa illius rei poterit intellectus habere iudicium, et assensum vel dissensum. Consequens falsum est, quia talis apprehensio non est vera neque falsa, igitur nec sequitur iudicium verum vel falsum, et quia si incomplexa sufficit ad iudicandum, igitur frustra formantur apprehensiones complexe. Consequentia probatur, quia notitia clara et evidens de totali obiecto iudicabili sufficit ad aliquod iudicium de obiective iudicabili. Confirmatur, si notitia complexa sufficit, et notitia incomplexa non sufficit, aut igitur hoc est quia notitia incomplexa non ostendit omnino et precise idem quod notitia complexa ostendit, nec osten-

[77a] -dit totaliter obiectum iudiciabile, et habetur propositum, aut quia notitia complexa osidit idem perfectius. Sed contra, quia illa notitia incomplexa ponitur esse clara et evidens, et quia potest fieri clarior et perfectior et econtra complexa poterit fieri imperfectior, et stat propositum, quia eque vel magis perfecte ostendet illud notitia incomplexa, et quia si imperfectio notitie impedit iudicium creatum, tamen non impedit assensum probabilem vel dubitationem, et quia divina notitia est simplicissima non complexa vel composita, et tamen est iudicativa, igitur non impeditur intellectus iudicare habens notitiam incomplexam ex eo quod illa notitia sit incomplexa si ipsa ostendit clare obiectum totale iudicabile et credibile.

Ad primum, sicut verum est quod secundum tales apprehensiones apprehendimus nihil sic quod huiusmodi apprehensiones sunt de nihilo, ita de assensu vel fide. Si igitur nihileitas referatur ad intelligere vel iudicare, negatur consequentia. Sic autem solet communiter accipi cum dicitur ‘Petrus nihil intelligit, vel nihil iudicat et nihil credit’. Si vero nihileitas se tenet ex parte obiecti sic accipiendo proprie aliquid pro eo quod est ens in actu, et nihil pro eo quod non est positive actu. Sic conceditur quod interdum apprehensio et iudicium, verum est de nihilo non quod apprehendatur vel iudicetur esse, sed fore vel fuisse, vel posse esse vel non esse. Ideo est iudicium verum, licet illud obiectum intelligibile non sit aliquid actualiter positive, accipiendo autem large et improprie aliquid et nihil ut aliquid dicatur quodcumque intelligibile esse huiusmodi quod est huiusmodi, et intelligibile non esse huiusmodi quod non est huiusmodi, et intelligibile fore huiusmodi quod erit huiusmodi etc. Et si nihil dicatur generaliter intelligibile esse huiusmodi, quod non est huiusmodi, vel intelligibile non esse huiusmodi, quod tamen est huiusmodi, iuxta dictum Philosophi 5 Metaphysice, quod “ens uno modo dicitur ut verum, et non ens ut falsum, sic per omne iudicium verum iudicatur aliquid, et per omne iudicium falsum iudicatum nihil est”.

Ad secundum, eque reducitur contra alios, quia ille dissensus erit iudicium verum, cuius per se terminus et obiectum erit ‘Petrus esse asinum’, igitur talis iudicat iudicio vero ‘Petrus esse asinum’. Dicendum igitur negando consequentiam accipiendo proprie iudicium ut communiter accipitur, et accipiendo impossibilitatem obiecti, secundum quam sit impossibile esse intelligibile huiusmodi cuiusmodi esse exigit veritas illius iudicii. Ad probationem, dicendum quod proprie loquendo dissensus respectu alicuius non dicitur iudicium respectu illius, et dissensus conformis alicui enuntiationi non dicitur iudicium conforme illi enuntiationi.

Sed potius iudicium conforme enuntiationi contradictorie, quia dissentire et discredere Petrum currere non dicitur iudicare Petrum currere, sed potius est formaliter vel virtualiter et equivalenter iudicare Petrum non currere. Accipiendo autem large iudicium et loquendo de impossibilitate secundum quam intelligibile esse huiusmodi cuiusmodi exigit veritas talis enuntiationis impossibile est. Conceditur consequens de iudicio dissentivo et discreditivo, quia iudicium non assensivum, sed dissensivum huius quod dico 'Petrum esse asinus' est verum.

Ad tertium, si per illud quo convenienter respondetur intelligitur responsio seu dictum responsivum, negatur maior. Si vero intelligitur importatum per responsionem conceditur maior, et negatur minor. Tamen non qualibet explicatio et expressio illius est conveniens et sufficiens re- [77b] –sponsio. Iudicium enim non est nisi de cognito complexe per determinatam apprehensionem formaliter significantem intelligibile esse vel non esse huiusmodi, ideo non convenienter et sufficienter respondetur respondendo illud obiectum qualitercumque et sub quacumque forma explicatum, sed explicatum complexe et dicendo iudico lapidem vel assentio lapidi. Aut est locutio falsa, aut impropria et inepta et truncata. Hec enim propositio videtur importare quod iudicium habetur de lapide ut apprehenditur mere incomplexe non veridice, nec falsidice. Idem igitur obiectum significatur per signum quod non est forma conveniens questionis vel responsionis, et per signum quod est forma conveniens questionis vel responsionis. Questio etiam querens quid iudicas non solum querit de materia obiectiva. Sed etiam de forma et qualitate iudicii. Unde, ad questionem qua queritur quid est illud intelligibile quod est obiective iudicatum et creditum potest dici quod est questio truncata, quia proprie loquendo nec iudico, nec credo aliquid intelligibile. Sed ego credo et iudico aliquid intelligibile esse vel non esse huiusmodi, ideo si questio fiat convenienter et perfecte, debet sic formari, quod est illud intelligibile, quod obiective iudico esse vel non esse, et tunc respondendum est quod est Petrus vel lapis. Si vero queritur quid est per se et complete et adequate iudicatum et creditum per illud iudicium, quo iudico 'Petrum esse album', vel quod 'Petrus est albus'. Respondeo, questio offert quod querit et respondit ad illud quod querit. Illud enim est 'Petrum esse album', vel quod 'Petrus est albus', nec potest convenientius explicari, quam per complexum conforme iudicio vel per dictum correspondens. Habes igitur et offers illud quod queris. Si vero queris quid est 'Petrum esse album'. Patet quid respondendum ex superioribus, sive queratur que res est vel fuit 'Petrum esse album'. Dices habetur propositum, quia si non iudico *a*, sed *a* esse huius, igitur *a* esse huius est intelligibile distinctum ab *a*. Respondetur: negatur consequentia,

nec est iudicare et non iudicare idem, sed est habere hoc iudicium et non habere iudicium conforme cognitioni mere incomplexe non veridice, nec falsidice, sicut iudico ‘aliquem hominem esse bonum’, et non iudico ‘Petrum esse bonum’. Sed dubito vel ignoro, licet ‘Petrum esse bonum’, sit de facto ‘aliquem hominem esse bonum’, sic etiam iudico ‘Petrum esse coloratum’, et non iudico ‘Petrum esse album vel sanum’, licet hoc actu sit illud. Aliter potest responderi ad questionem qua queritur quid sit per se et adequate iudicatum per iudicium, quo iudico quod *a* est huiusmodi, aut enim questio querit quod intelligibile exhibetur et representatur vel offertur obiective terminative complete per actum iudicii et assensus, aut pro quo intelligibili verificatur vel falsificatur iudicium huius, aut quod est illud intelligibile quod est *a* esse huiusmodi, seu quod est illud intelligibile de quo verificetur personaliter tale dictum explicans sufficienter obiectum iudicatum. Si primum, queritur. Respondendum quod omnia intelligibilia que significantur per illud complexum conforme iudicio vel per partes eius. Si secundum queritur, dicendum quod est hanc rem esse huiusmodi, vel tale intelligibile sic se habens. Si tertium queritur sic dicendum quod illud intelligibile aliquando est ens actu presens, ut cum est iudicium verum affirmativum de inesse et de presenti, aliquando autem est tantum aliquod ens in potentia, aliquando est aliquid preteritum, aliquando futurum, aliquando nihil est actu vel potentia, et nullum intelligibile potest dari pro quo verificetur tale iudicium vel propositio ei conformis, nec tali dicto correspondet aliquod [78a] quod intelligibile de quo vel pro quo verificetur tale dictum.

Ad quartum, negatur consequentia. Ad probationem reduci posset etiam contra alios, quia crederent idem saltem quoad deitatem, et quoad omnem entitatem incomplexam significabilem actualem vel potentialem. Dicendum igitur quod consequens est falsum, quia non solum importat quod omne ens extra animam quod est materiale obiectum huius fidei, sit materiale obiectum illius fidei, et quod omne obiectum materialiter terminans per se huiusmodi fidem sit naturaliter terminans illam fidem. Sed etiam importat similitudinem fidei et iudicii et similem et uniformitatem propositionum, quibus correspondent et sunt conformes illi. Assensus importat etiam consequens quod obiectum se habens ut requiritur et sufficit ad veritatem unius fidei sit idem obiecto se habenti et enti ut requiretur et sufficeret ad veritatem alterius fidei, et ita consequens importat quod ‘Deum esse trinum unum’ est idem ei quod est ‘Deum non esse trinum et unum’, quod est falsum, quia nullum obiective et materialiter per se intelligibile terminative est ‘Deum non esse trinum et unum’, sicut nullum obiectum per se intelligibile

terminative est Deus ignorans. Sed in quadam transsumptione et similitudine ‘Deum non esse trinum’ dicitur quoddam intelligibile, quia possibilis est intellectio conformis illi orationi cuius veritas exigeret aliquod intelligibile esse quod foret ‘Deus non ens trinus et unus’. Si tamen per consequens non plus intelligeret, nisi quod res que est obiectum materiale unius iudicii, est etiam obiectum materiale alterius. Tunc concederetur, quia creditur idem materialiter obiective, sed aliter et aliter. Ex hoc patet quod volens *a* esse huius et volens *a* non esse huiusmodi, non volunt proprie idem, quia obiectum ens tale vel taliter se habens quale et qualiter se habens placet uni, et est conforme actui unius, et eius positio esset adimpletio unius volitionis, non est huius respectu alterius volitionis.

Ad confirmationem, negatur consequentia. Ad probationem, si per obiectum iudicatum poni intelligitur quod obiectum tale ens et taliter se habens quale requiritur ad veritatem illius iudicii, ponitur negative quod obiectum iudicatum per utrumque ponatur. Sed interdum impossibile est poni, nec alteri iudicio correspondere potest aliquod tale intelligibile, si vero intelligitur intelligibile poni, quod materialiter obiective terminat illud iudicium. Sic conceditur obiectum utriusque poni. Sed non sequitur quod utrumque sit verum, quia illud obiectum non est totaliter se habens qualiter se habens exigeretur ad veritatem illius iudicii, et pro eodem obiectivo materiali est unum iudicium verum et alterum falsum, sicut assensus et dissensus sunt respectu omnino eiusdem intelligibilis etiam complexe, et tamen assensus respectu illius est iudicium verum, et dissensus respectu illius est iudicium falsum, sic pro eisdem rebus materialiter obiective verificatur quod ‘Socrates non est Plato’, et falsificatur quod ‘Socrates est Plato’.

Ad quintum, negatur consequentia proprie loquendo, et secundum sensum in quo solet fieri et accipi consequens. Argumentum etiam potest reduci contra alios, quia saltem omnino eidem intelligibili quod est deitas assentires et dissentires, et omnino eidem totali intelligibili significabili complexe. Dicendum igitur quod consequens est falsum, quia importat non solum quod illud intelligibile quod est obiectum materiale assensus est obiectum materiale dissensus exhibitum per iudicium, et ad quod terminatur et super quod obiective materialiter fertur, et in quod tendit ille dissensus. Sed etiam importat quod habes assensum conformem tali complexo, et quod simul habes dissensum conformem eidem complexo, et hoc est habere assensum, et dissensum contrarium importaret etiam quod idem omnino obiectum est tale ens vel taliter se

habens, quale vel qualiter se habens requi- [78b] –reret veritas propositionis et dicti conformis, et correspondenter illi assensui, et est tale ens, et taliter se habens quale et qualiter exigeret verificatio positionis et dicti conformis illi dissensui et hoc est importare quod *a* esse huiusmodi sit idem ei quod est *a* non esse huiusmodi, et quod *a* ens huiusmodi sit idem ipsi *a* non enti huiusmodi, quod est falsum. Ad probationem consequentie probat solum quod idem intelligibile est obiectum materiale utriusque, sed non ex hoc sequitur consequentia, cum etiam dicitur quod obiectum dissensus quo dissentio Deum non esse Deum erit Deus, et non erit nisi Deus. Dicendum quod si intelligis quod res que Deus est sit obiectum materiale huius iudicii et nullum aliud intelligibile, quin etiam sit obiectum assensus quo assentio Deus est. Conceditur de obiecto materiali per se et proprie terminante intellectionem, nec ex hoc sequitur quod assentio et dissentio eidem, quia illa res non est tale ens, nec idem tali enti quale exigit verificatio propositionis, et dicti conformis illi dissensui. Si vero per illam propositionem Deus est totale obiectum illius dissensus, intelligo quod Deus est ens sufficienter tale et taliter se habens vel quod est idem obiecto tali et taliter se habenti quale et qualiter se habens sufficeret totaliter ad verificationem dicti conformis, negatur immo nullum tale intelligibile ei correspondet, nec correspondere potest nisi in quadam similitudine et figura. Ad illud additum negatur consequentia, quia dissentire et discredere Deo non solum importat quod Deus sit obiectum materiale terminative mei dissensus, sed etiam quod habeo iudicium difforme dictis Dei, et contrarium iudicio conformi dictis eius. Ad confirmationem, negatur consequentia, quia consequens importat quod habeo iudicium, et dubitationem conformiter et correspondenter eidem propositioni et eidem apprehensioni complexe. Sed argumentum potest reduci contra alios, quia iudico et assentio ‘aliquem hominem esse bonum’, et non iudico sed dubito hunc ‘Petrum esse bonum’, et tamen contingit quod ‘Petrum esse bonum’ sit realiter ‘aliquem hominem esse bonum’, et ita dubitarem de intelligibili complexe significabili, quod est intelligibile significabile complexe, pro quod verificaretur certitudo mea, et iudicium meum certum. Similiter ‘Deum esse potentie infinite’ non esse ‘Deum esse potentie alicuius’, et quod ‘Petrus moveri’ non esset ‘Petrum moveri velociter’. Responsio ibi posita concedi potest large loquendo assentis et dissentis eidem obiective materialiter, et sub alia et alia ratione, et secundum aliud et aliud predicabile. Ad improbationem dicendum quod hec alia et alia ratio se tenet ex parte intellectus, licet alietati predicationum, si vere esset necessarium esset correspondere alietatem vel non identitatem rei.

Ad sextum, negatur consequentia. Potest enim reduci contra alios, quia etiam assentires diabolo, cum diabolus non sit minus obiectum huius assensus quam Deus sit obiectum illius alterius assensus. Consequens igitur importat non solum quod Deus vel diabolus sit materialiter obiectum tui assensus. Sed quod assentis et acquiescis diaboli dictis, et eius monitioni et suggestioni, et quod credis res ita se habere, vel ita esse agendum, qualiter eas se habere, vel qualiter agendum dictat diabolus.

Ad septimum, licet antecedens possit distingui ut statim ponetur, negatur tamen antecedens. Ad probationem, negatur consequentia, ita enim potest reduci contra alios, quia Deus erit partiale obiectum illius odii, immo totale in ordine totalis obiecti incomplexe significabilis, et ita Deus partialiter odiretur.

Ad probationem consequentie, dicendum quod hec propositio ‘Deus est totale obiectum dissensus quo dis- [79a] –sentio Deum non esse vel odii quo odio Deum non esse’ potest dupliciter intelligi. Uno modo, quod Deus est obiectum illius dissensus vel odii, et nullum aliud ens seu nullum aliud obiectum intelligibile. Et in isto sensu, licet sit falsa, non tamen sequitur, igitur dissentio Deo et odio Deum, sicut nec sequitur si Deus sit partiale obiectum illius dissensus et odii, igitur per hoc odium odio partialiter Deum sicut Deus est obiectum odii quo ipse odit peccatores, et tamen non oditur illo odio sicut etiam si actus quo odio Petrum propter Deum habet Deum pro partiali obiecto, non sequitur quod partialiter odiam Deum et si actus quo diligo creaturam in relatione ad Deum sit usus, et habeat Deum pro partiali obiecto, non sequitur igitur utor Deo partialiter, non sequitur igitur odio Deum non esse, et huius odii Deus est obiectum, igitur odio Deum. Sed potius sequitur oppositum, et est fallacia secundum quid ad simpliciter per determinationem distrahentem que ponit oppositum in adiecto ut velle te non esse mortuum, igitur vellem te non esse, vel vellem te esse mortuum, ergo vellem te esse. Alio modo potest intelligi dicta propositio quod deus non solum est obiectum illius dissensus vel odii, sed est totaliter obiectum tale ens, et taliter se habens, quale displicet et quod respuitur et quod tolleretur per illud odium quantum est ex ratione illius odii, si esset efficax, et quod est obiectum tale ens et taliter se habens quale sufficit, et requiritur ad veritatem enuntiationis conformis et correspondentis illi dissensui vel odio, et sic negatur, immo nullum obiectum intelligibile ei correspondet, nec correspondere potest nisi in similitudine ad transumptionem. Intelligimus enim

et volumus vel nolumus quasi corresponderet tale obiectum intelligibile terminative quod nihil sit nec actu nec potentia.

Ad octavum, negatur consequentia, quia etiam de intelligibili illo complexe significabili, quod ponit contraria opinio potest haberi apprehensio incomplexa, que non sufficit ad indicium. Patet de notitia correspondente istis terminis significabile/intelligibile etiam complexe obiectum totale assensus etc. Ad improbationem, negatur nisi loquendo de sufficientia secundum potentiam accidentalem, quia illa habita potest anima statim formare aliquas apprehensiones complexas diversas, et habere assensus. Ad confirmationem, hoc est propter naturam et differentiam talium apprehensionum et talium effectuum, et concedo quod propter aliquem modum imperfectionis, quia modus apprehendendi affirmative vel negative veridice est perfectior in nobis, ceteris paribus. De notitia autem Dei, licet sit simplex et non complexa et composita, tamen est formaliter veridica et est equivalenter et eminenter omnis apprehensionis complexe vere, et per eam Deus cognoscit formaliter hoc esse vel non esse huiusmodi, et continet omnem perfectionem apprehensionum complexarum et iudiciorum circumscripta imperfectione.

Ad ratione in principio questionis patet ex dictis ad secundum contra secundam conclusionem.

Sequitur tertia questio secunde distinctionis.

Tertio, circa predictas distinctiones, quero utrum scientia per quam ex creaturis scimus Deum esse habeat pro obiecto per se scibili solam conclusionem demonstratam. Quod sic, quia scientia est habitus conclusionis demonstrate. Scientia enim est obiecti scibilis demonstrati. Sed nihil demonstratur nisi conclu- **[79b]** -sio. Contra: nullum ens contingens in libertate nostra positum est per se obiective scitum, quia scientia est eternorum et necessariorum, 6 Ethicorum. Sed conclusio demonstrationis est ens contingens in libertate nostra, quia est propositio libere formata ab anima nostra, igitur.

Prima conclusio: nullius scientie secundum quam formaliter scimus quod Deus est, vel quod Deus est bonus obiectum per eam scitum est conclusio demonstrationis et conformiter de consimilibus scientiis de rebus extra. Probatur: illud est obiective scitum cui obiective assentitur

assensum scientifico, et quod obiective iudicatur iudicio scientifico. Sed hoc est non propositio, sed significatum per eam, ut probatur questione precedenti. Et confirmatur, sicut opinio et fides vel assensus dialecticus ad conclusionem syllogismi dialectici, vel ad propositionem dialecticam et probabilem, ita assensus scientificus ad conclusionem syllogismi demonstrativi. Sed ille assensus non habet pro per se obiecto propositionem et conclusionem dialecticam. Sed eius significatum, probo quia cum credo vel opinor probabiliter quod mundus habuit initium, assensus fertur directe super obiecta intelligibilia extra animam, que sunt actu vel potentia vel que fuerunt, aut que erunt, et non super actus meos, quia de illis non minus certus sum quam de actibus meis cum demonstro. Preterea, dubitatio qua dubito an astra sint paria, non habet pro per se obiecto dubitabili actus mentis mee, sed obiectum intelligibile extra me, igitur. Consimiliter, de scientia qua scio binarium esse parem. Antecedens patet. Dubito enim de paritate astrorum, que video de nocte, non de his que sunt in anima mea per se et primo.

Preterea, sicut se habet scire vel ignorare ‘hunc triangulum habere tres’ ad hanc propositionem singularem ‘hic triangulus habet tres’, sic ignorare vel scire quod ‘omnis triangulus habet tres’ ad hanc propositionem universalem. Sed illa ignorantia vel notitia vel scientia opposita est per se et directe obiective non respectu propositionis singularis, sed super rem singularem extra demonstrabilem, quia dubito vel scio ‘hunc triangulum’ demonstratum et notitia intuitiva sensitiva cognitum ‘habere tres’.

Preterea, scibile quod scio per *b* scientiam ponitur absque opere intellectus mei, nec dependet ab anima mea, igitur non est conclusio formabilis per animam meam. Antecedens patet, scio enim quod ‘omnis triangulus habet tres’, et ‘omnis triangulus haberet tres’, etiam si anima mea non esset. Confirmatur, scibile quod scio precedit scientiam meam. Non enim produco ipsum, nec dependet a scientia.

Preterea, per se obiective scitum per *b* scientiam meam non est conclusio, vel propositio anime tue, et formata per te, igitur nec est conclusio anime mee. Antecedens patet, quia nihil cogito de te vel tuis actibus. Consequentia probatur, quia propositio mea et propositio tua sunt omnino eiusdem rationis. Notitia autem scientifica est respectu omnis eiusdem rationis specificæ. Preterea, non idem sciretur demonstrative a me, et ab alio, nec ego scirem idem scibile obiective hodie et heri, nec idem esset scitum a Deo et a me, quia actus divini intellectus non est actus mei intellectus,

Preterea, impossibile esset idem obiective esse scitum ab uno demonstrative, et ab alio esse ignoratum vel dubitatum, vel dialectice opinatum et creditum. Consequentia patet, quia non habent easdem, nec consimiles propositiones mentales, et apprehensiones complexas. Consequens est falsum, quia angelus scit demonstrative aliqua, que ignoramus vel dubitamus.

Preterea, idem est obiective quesibile ante demonstrationem et obiective scitum post demonstrationem. Sed obiective quesibile, et quesitum non est conclusio demonstra- **[80a]** - tionis, sed significatum per eam, igitur maior patet idem ei est quesibile prius quesitum et postea scitum, alioquin non cessaret nec terminaretur questio et dubitatio, ideo et postea questiones sunt equales numero his que vere scimus. Minor patet, cum enim quero an luna sit eclipsabilis, et quare et qualiter quero de obiectis extra non de actibus anime, vel tue vel mee. Confirmatur, cum dicitur quod idem est ante demonstrationem quesitum et dubium quod post demonstrationem est certum et scitum, vel intelligitur quod propositio mentalis, que prius erat dubia et inevidens, postea sit clara et evidens. Et patet quod non, quia eadem apprehensio semper est uniformiter representativa sui obiecti. Si intelligitur de eius significato habetur propositum. Preterea, omnino impossibile est principia demonstrationis esse vera, quin scibile ponatur. Sed non est omnino necesse, tunc conclusionem poni, quia cum sit quedam tertia propositio realiter posterior premissis possunt sine contradictione formari principia in intellectu et non formabitur conclusio, quia Deus non concurret effective.

Preterea, principia demonstrationis non causant directe et primo notitiam scientificam illius tamquam obiective sciti et scientificè ostensi quod non apprehenditur, nec representatur per ipsa principia. Signum enim mentale non facit intellectui evidentiam per se et directe de eo quod non significat, nec representat. Sed conclusio demonstrationis est huiusmodi. Probo, quia precise premissæ et conclusio sunt tres propositiones et qualitates mentales, quarum una non magis est apprehensio alterius quam econtra, nec una habet aliam pro per se obiecto magis quam econtra, patet quia propositiones vocales vel scripte illis subordinate in significando non significant se invicem. Similiter, volitiones illis apprehensionibus conformes non se habet invicem, sicut obiectum et volitio.

Preterea, illius tamquam obiective scibilis et scientificè cogniti non est scientia pro quo non supponunt termini conclusionis demonstratæ, immo nec aliquis terminus demonstrationis. Sed potius illius pro quo supponunt. Sed non supponunt pro conclusione, nec pro aliqua parte

eius. Cum enim concluditur quod ‘omnis triangulus habet tres’, nec subiectum, nec predicatum supponunt materialiter et simpliciter, sed personaliter pro significato. Similiter, etiam de premissis.

Preterea, si scientia per demonstrationem acquisita sit conclusio demonstrationis, aut igitur intellectus demonstrans quatinus demonstrans et sciens utitur illa conclusione pro seipsa sistendo in ea aut non, sed ex ea procedit ad obiectum extra et utitur ea tamquam signo pro significato ulteriori. Si primum, contra, tum quia conclusiones demonstrationis essent false. Tum quia nihil omnino sciremus de rebus extra, nec de numeris, nec de figuris nec mediate nec immediate, sed tantum de accidentibus anime. Si secundum, igitur intellectus ut sciens utitur illa ut signo pro alio ut obiecto et mediante illa tendit in obiecta extrinseca, tamquam super ultimate scita, igitur sunt obiective scibilia, igitur frustra ponitur illud ens in anima pro obiective scito secundum illam scientiam. Sufficenter enim sustinebitur generatio scientieposito unico scibili, et quia rationes alterius partis, eque possunt induci ut in pluribus contra positionem ponentem extrinseca obiecta esse scibilia mediate, sicut si immediate. Preterea, si scientia negatur esse obiectorum intelligibilium extra tamquam obiective scibilium, aut hoc esset quia res extra sunt singulares, aut quia corruptibiles. Sed hoc non valet, quia non minus ita est de actibus anime, que sunt variables secundum libertatem nostram. Si dicas sunt universales in representando, contra: igitur non deserviunt scientie, nisi ut signa, igitur non per se, sed principaliter per significatis, nec sciens ut sciens utitur illis, nisi tamquam signis pro alio, ut obiective representato, igitur sciens ut sciens fertur super obiecta extra, ut obiecta ultimate scibilia. Item, propositio vocalis et propositio scripta essent per se et directe obiecta scibilia, sicut actus mentis. Preterea, sit *a* hec conclusio mentalis demonstrationis ‘binarius est par’ vel ‘omnis triangulus habet tres’, tunc sic scientia que habet *a* per se obiecto non videtur, nisi scientia per quam formaliter sciretur quod *a* propositio est vera et necessaria vel demonstrabilis vel conformis rei extra vel aliquid simile. Sed scientia non est formaliter scientia per quam per se et directe scitur quod ‘omnis triangulus habet tres’, immo sunt diverse apprehensiones et propositiones et eis correspondent diversi assensus alterius rationis, ut probatur questione precedenti, una enim est prior et causalis respectu alterius, igitur primum assumptum patet, quia notitia que habet *a* per se per obiecto, aut est simplex apprehensio ipsius *a* quomodo simplici intelligentia potest apprehendi aliquod totum et talis non erit scientifica, quia non veridica nec

falsidica, aut est apprehensio enuntiativa alicuius de *a* et veridica et tunc, non erit nisi apprehensio quod *a* est vera vel conformis rei extra vel huiusmodi.’

Preterea, conclusio demonstrationis mentalis est scientia actualis seu notitia scientifica, igitur non est obiectum scitum per huiusmodi demonstrationem. Antecedens probatur, quia habita sola demonstratione evidente habetur scientia, quia demonstrative cognoscere est scire et demonstratio diffinitur quod est syllogismus faciens scire, et est syllogismus in quem habendo scimus, et quia habito syllogismo dialectico habetur opinio, igitur proportionabiliter in proposito, igitur scientia est conclusio demonstrationis vel principium. Sed non est principium cum sit indemonstrabile, igitur est conclusio demonstrationis. Patet etiam quia conclusio demonstrationis est quedam apprehensio complexa et non reducit ad aliud genus cognitionis quam scientie. Consequentia principalis probatur, quia scientia et scibile et scitum per illam non universaliter sunt idem. Probatur multipliciter, primo quia ego et tu scimus idem scibile, et tamen non eadem est scientia mea et tua. Item, scibile precedit scientiam et non definit definente scientia, quia est necessarium et eternum 6 Ethicorum, et in Predicamentis, “scibile sublatum simul aufert scientiam non econtra”. Item, 5 et 9 Methaphysice, “scientia et scibile se habent ut mensura et mensurabile”. Item, ars et artificiale non sunt idem, igitur nec scientia et scibile. Item, dubitatio et dubitabile vel obiective dubitatum non sunt idem, nec questio et obiectum quesibile, igitur nec scientia et scibile. Item, scientia Dei qua scit ‘omnem triangulum habere tres’ distinguitur ab isto scibili, quia si est eadem isti scibili, igitur et cuilibet, quia Deus per eandem scientiam scit omne scibile, igitur omnia scibilia sunt in se formaliter idem, quod est falsum.

Preterea, idem scibile est scitum actualiter per actualem notitiam scientificam et scitum habitualiter per habitum scientificum. Idem enim scimus habitualiter quod actu speculando scimus actualiter, sed conclusio demonstrationis non est scibile scitum obiective per se et directe habitualiter per habitum scientificum causatum per demonstrationem huiusmodi probo: habitus ille per se et directe semper inclinaret primo ad speculandum et cogitandum priores apprehensiones complexas. Consequens est falsum, quia talis habitus inclinatur primo ad speculandum ‘omnem triangulum habere tres’ et nulla sit cogitatio de prioribus apprehensionibus, nisi forte interdum per accidens mediante recordatione reflexiva actuum preteritorum. Consequentia patet, quia habitus scienti- **[81a]** -ficus per se et directe inclinatur ad

speculandum scibile, cuius est primo scientia et cuius erat actualis scientia et actus ex quibus generatus est. Idem enim obiective scibile est scitum per actus sequentes habitum scientificum, et per actus precedentes generantes illum. Sed sequentes non habent priores pro obiectis, igitur.

Secunda conclusio, nulla notitia intellectiva naturaliter acquisita est formaliter intuitiva notitia suiipsius. Probo: aliter sequeretur quod omnis recordans se cogitasse de lapide vel albedine certius absque discursu inquisitivo recordaretur se tunc cognovisse et cogitasse cogitationes. Consequens est contra experientiam, certum enim modo est mihi me haberi cogitasse tali hora de lapide. Sed dubito tunc an cogitarem actualiter cogitationes meas, immo credo oppositum. Consequentia probatur quia, si heri per aliquem actum cognoscebam plura unum distincte et clare et perfecte, alterum autem indistincte et imperfecte et obscure, nunc virtute speciei vel habitus remanentis, non minus evidenter potero recordari me cognovisse illud quod primo et immediate et clare et distincte cognovi, quam id quod mediate et obscure et confuse. Preterea, sequitur quod nullus mediante specie vel habitu remanente poterit exire in notitiam abstractivam obiecti extra prius cogniti quin simul directe cogitet actus suos preteritos. Consequens est contra experientiam. Probatio consequentie, quia habitus per se et primo inclinatur in notitiam illorum obiectorum quorum per se et primo erant notitie illi actus ex quibus generatus est, ergo etc.

Tertia conclusio: quamvis omnis notitia intellectus nostri esset formaliter notitia intuitiva suiipsius et per consequens, quamvis apprehensio complexa que est conclusio mentalis demonstrationis esset notitia intuitiva suiipsius, adhuc obiective scibile quod primo et directe scitur mediante huiusmodi demonstratione non est conclusio illius demonstrationis. Probatur: sit *a* notitia scientifica que est conclusio demonstrationis per quam scio quod ‘omnis triangulus habet tres’, tunc sic illud non est obiective scitum per *a*, respectu cuius *a* non est notitia scientifica, nec *a* est scientia quatenus est illius. Sed *a* notitia non est notitia scientifica respectu ipsius *a*, et quatenus est ostensiva ipsius *a*, igitur *a* non est obiective scibile scitum per illam. Maior patet, quia scientia est scientia respectu per se scibilis secundum Aristotelem 5 Methaphysice et in Predicamentis. Minor probatur multipliciter. Primo, notitia individualis et intuitiva alicuius rei singularis non est scientia seu notitia scientifica illius rei quatenus est notitia individualis et intuitiva illius. Sed *a* conclusio respectu sui et quatenus est exhibitiva sui est notitia individualis et intuitiva cuiusdam rei singularis, igitur maior patet quia scientia proprie

sumpta ut est sermo in proposito est notitia abstractiva et universalis. Patet ex 7 Methaphysice de singulari sub conceptu singulari non est scientia neque demonstratio neque per se diffinitio. Patet etiam 1 Posteriorum, “demonstratio enim est ex universalibus”. Unde, secundum Aristotelem 1 Posteriorum, “non est scire per sensum, sensus enim est eius quod est hic et nunc”. Minor patet, quia *a* conclusio in intellectu meo est quedam entitas singularis, et ipsa respectu sui est apprehensio intuitiva et non intuitiva nisi respectus sui, quia respectu omnis alterius per eam cogniti est abstractiva, igitur respectu sui est notitia individualis et distincta cuiusdam rei singularis. Dices licet *a* conclusio sit in se quedam forma naturalis et singularis, tamen est imago universalis plurium, ipsa autem exhibet seipsam ut imaginem et exemplar plurium **[81b]** ideo est scientifica respectu sui. Contra: ex hac responsione videtur haberi propositum sic *a* notitiam non est scientifica notitia, nisi ut est universalis imago plurium, scilicet *a* ut est ostensiva ipsius *a* conclusionis non est universalis imago plurium. Sed ut ostensiva rerum extra, igitur ut ostensiva sui non est scientifica. Sed tantum ut ostensiva rerum extra. Maior patet quia ut est ostensiva sui est notitia intuitiva et determinata et distincta. Sed non est notitia intuitiva nisi unius rei singularis et non aliorum. Confirmatur: *a* est notitia scientifica respectu illorum quorum est imago universalis et abstractiva. Sed hoc est respectu intelligibilium extra, et quatenus est illorum non respectu sui, nec quatenus est sui. Probo, quia circumscripto respectu ad significata extrinseca ipsa non exhibet nisi unica rem singularem distincte et intuitive, et quia *a* non est imago universalis et abstractiva notitia, nisi ut est cognitio omnium triangulorum. Sed trianguli sunt intelligibilia extra significata, non enim est imago universalis abstractiva, nisi respectu illorum que abstractive et in universali per eam cognoscuntur, igitur.

Item, *a* notitia non est notitia scientifica, nisi quatenus secundum eam scitur ‘omnem triangulum habere tres’, sed per eam non scitur ‘omnem triangulum habere tres’, nisi quatenus ipsa est imago et representatio triangulorum habentium tres, igitur ipsa non est notitia scientifica nisi quatenus est imago et representatio triangulorum extra animam habentium tres, igitur non quatenus est ostensio sui. Item, cognitio ipsius *a* ut est imago universalis plurium est cognitio relativa et comparativa actus anime ad res extra. Sed talis non est formaliter et per se notitia scientifica, quia ‘omnis triangulus habet tres’, igitur cognitio ipsius *a* tamquam imaginis plurium non est cognitio scientifica per se. Minor patet quia cognitio triangulorum et conceptus relativus cognitionis ad obiectum sunt conceptus diversorum predicamentorum, et quia scire quod ‘omnis triangulus habet tres’ non est comparare res extra ad actus anime. Comparare etiam ‘triangulum

habere tres' ad actum anime est comparare scibile ad scientiam. Item, notitia intuitiva signi vocalis vel scripti quod est universalis representatio plurium non est formaliter notitia scientifica, igitur nec signi mentalis. Consequentia patet pari ratione, quia per utrumque potest signum exhiberi ut exemplar plurium. Antecedens patet, quia si audiam vel videam hanc conclusionem 'omnis triangulus habet tres' sive in voce, sive in scripto et intellectus habeat notitiam intuitivam eiusdem significati illa notitia intuitiva huius signi non est formaliter notitia scientifica, licet illud signum significabile exhibeatur ut exemplar plurium.

Secundo principaliter, probatur minor principalis, scilicet quod *a* respectu sui et quatenus est sui non est notitia scientifica, quia ut est notitia scientifica est notitia veridica. Sed quatinus est exhibitiva suiipsius formaliter intuitive non est veridica nec falsidica. Minor probatur multipliciter. Primo, quia propositio non est vera nisi quia ita est in re sicut significat et ex eo quod significat rem sic se habere sicut se habet, igitur quatinus est exhibitiva rei extra.

Item, signum complexum est veridicum vel falsidicum ex illo significato propter cuius solius mutationem transit de veritate in falsitatem simpliciter et econtra. Sed hec res est extra significata, igitur. Item, propositio mentalis aliquando est vera sine falsitate, aliquando falsa sine veritate, igitur non est veridica nec falsidica quatinus est representativa sui consequentia. Patet, quia semper manet uniformiter et necessario conformitas ipsius ad seipsam. Antecedens patet, quia 'Socrate currente', hec est simpliciter vera 'Socrates currit' et nullam habet falsitatem et 'Socratem non currente' est falsa et nullam habet veritatem, saltem talem veritatem, qualis est veritas [82a] notitie scientifice non erronee. Veritas enim que attribueretur illi propositioni iuxta dicta Anselmi, libro De veritate, eque convenit utrique parti contradictionis. Item, omnis propositio quatenus exhibitiva sui vera erit tali veritate, qua notitia scientifica sui vera erit tali veritate, qua notitia scientifica est vera ut est scientifica vel omnis propositio quatenus exhibitiva sui erit falsa. Consequentia patet, quia quelibet uniformiter et eque intuitive et distincte esset notitia intuitiva suiipsius formaliter, igitur vel ista 'homo est asinus' habet veritatem talem qualem notitia scientifica ut scientifica. Aut ista 'Deus est' habet falsitatem.

Item, si Michael apprehendat intuitive *a* apprehensionem complexam existentem in Gabriele, non ex hoc dicit verum vel falsum, igitur nec Gabriel habens *a* dicit verum vel falsum. Quatenus intuitive videt *a* per ipsum *a*, nec *a* est veridicum vel falsidicum quatenus est sui. Antecedens probatur, tum quia non aliter intuetur *a* quam domum vel archam vel imaginem

aliquam. Sed ex huiusmodi visione non dicit verum neque falsum, tum quia non significat aliquid esse vel non esse ex hoc quod intuetur *a* magis quam ex hoc quod intuetur apprehensionem incomplexam. Tum quia ex hoc quod videt propositionem scriptam non esset visio veridica vel falsidica, igitur nec ex hoc quod intuetur illam mentalem, tum quia huiusmodi apprehensio intuitiva in Michaelae est ex se indifferens ad hoc quod ex ea per modum subiecti demonstrantis *a* formentur quasi infinite propositiones vere vel false, igitur est quelibet illarum vel nulla. Sed consequentia principalis probatur, tum quia Michael apprehendit omnino idem et eodem modo intuitive sicut Gabriel quatenus intuetur *a* per seipsam et idem apparet utrique ut sic, tum quia iste angelus non magis significat *a* esse vel non esse quam ille angelus. Confirmatur, si aliquis angelus sive Michael sive Gabriel dicat *a* esse verum vel *a* est scientifica notitia per subiectum huius propositionis non dicit nec verum nec falsum, igitur *a* quatenus est sui non est veridicum nec falsidicum. Consequentia patet, quia illud precise demonstratur per subiectum huius propositionis et per ipsum *a* quatenus est apparentia et ostensio sui. Antecedens probatur, quia illud subiectum est indifferens ad quecumque predicata, sive affirmative sive negative enuntiabilia, igitur ex se nullam affirmationem vel negationem veridicam vel falsidicam habet. Confirmatur: hic terminus propositio vel etiam hoc oratio, hec propositio *a* non est enuntiatio vera vel falsa, igitur nec *a* quatenus est ostensio sui. Consequentia patet, quia illud signum significat se et conceptus similiter ei correspondens, licet in universali, immo *a* quatenus est sui videtur conceptus per se inferior ad conceptus propositionis in communi. Tertio, probatur minor principalis, quia *a* non est notitia scientifica respectu illius ut per se primo obiective sciti quod est novum et contingens et in libertate mea, quod enim scio per *a*, scio ipsum non dependere ab anima mea. Scio enim quod ‘binarium esse parem’ non dependet ab anima mea. Sed *a* est novum contingens, igitur.

Quarto, sequitur quod omnis apprehensio complexa est scientifica eque sicut *a*. Consequens est falsum, quia questio et dubitatio et propositio falsa non est scientia. Consequentia probatur, quia quelibet huiusmodi non est minus est clara et perfecta ostensio sui et necessario et immutabiliter quam *a*, quia eque eadem sibi et uniformis est adequatio signi ad significatum.

Contra conclusiones predictas specialiter contra primam et tertiam. Arguitur primo per Philosophum, 1 et 2 Posteriorum, qui frequenter ponit quod scientia est conclusionis

demonstrate, immo respectu solius conclusionis ponit scientiam. Et 6 Ethicorum ponit quod intellectus et scientia differunt, quia scientia est conclusionum et intellectus principiorum. Communiter etiam recipitur descriptio ista scientie, quod est habitus [82b] conclusionis demonstrate. Et Boethius supra predicamenta, solum complexum scitur. Secundo, illius est scientia cuius est demonstratio et illud est scibile quot est demonstrabile, immo idem est scibile quod demonstrabile, 6 Ethicorum. Illud igitur demonstrative scitur quod per demonstrationem concluditur et infertur. Sed hec est conclusio.

Tertio, nihil scitur nisi verum mediatum.

Quarto, illud est scibile quod est quesibile et illud post demonstrationem scitur quod ante demonstrationem queritur, 2 Posteriorum. Sed ipsa propositio est quesibilis et est questio, quia questio est dubitabilis secundum Boethium, et sicut propositio aliqua per se nota, et evidens non queritur, ita propositio non per se nota est illud quod queritur. Et confirmatur, quia querendo an ‘omnis triangulus habeat tres’, illud queritur quod non habetur et quo habito cessat questio et quiescit querens. Sed notitia scientifica complexa est huiusmodi, igitur ipsa est obiective quesitum.

Quinto, *a* conclusio demonstrationis mentalis est scientia actualis et est scientifica notitia, ut patet ex probatione quadam prime conclusionis, igitur ipsa est obiective scitum per huiusmodi demonstrationem. Consequentia probatur, quia scientia et actu scitum sunt idem ut repetit Aristoteles 3 De anima. Primo enim dicit quod “scientia speculativa et sic scibile idem est”, et capitulo sequenti, “idem est autem secundum actum scientia rei”.

Sexto, illud est obiective scitum pro quo supponit hoc dictum ‘omnem triangulum habere tres’ vel pro quo supponit hec oratio ‘omnis triangulus habet tres’, cum dico scio quod ‘omnis triangulus habet tres’, vel ‘omnem triangulum habere tres’ est scitum a me. Sed supponit pro conclusione vel pro signo universali non pro significato extra, igitur maior patet, quia non potest convenientius assignari quid obiective sit scitum, nec convenientius responderi ad questionem qua queritur quid obiective est scitum quam illud dictum vel illa oratio. Minor probatur, quia non sequitur, ‘scio quod omnis triangulus habet tres, igitur scio quod hic triangulus habet tres’. Nec sequitur ‘omnem triangulum habere tres est scitum a me, igitur hunc triangulum habere tres est scitum a me’. Patet ex 1 Posteriorum habita demonstratione, quod ‘omnis triangulus habet

tres' non scitur quod 'hic triangulus habet tres', nisi in potentia et per accidens, et tamen esset consequentia bona, si illud dictum non supponeret simpliciter pro conceptu sibi correspondente. Sed pro significatis extra, quia esset bonus locus a toto in quantitate, et quia sub termino universali distributo personaliter supponente pro significatis, licet descendere ex hoc patet quod hic syllogismus non peccat per demonstrationem huiusmodi scitur quod 'omnis triangulus habet tres'. Sed quod 'omnis triangulus habet tres' est conclusio demonstrationis, igitur quod per huiusmodi demonstrationem scitur est conclusio demonstrationis, igitur. Ad idem sunt multe rationes que infra ponuntur contra conclusiones sequentes.

Ad primum, quia loquendum est ut plures et sentiendum ut pauci. Aristoteles locutus est in presenti materia secundum communem usum et loquendi antiquorum et etiam modernorum, quasi propositiones et subiectum et predicatum sint quedam obiective cognita et exhibita per se et directe per apprehensiones nostras complexas et incomplexas. Sic etiam communis usus loquitur de cognitione universalium quasi universalia forent extra animam quedam obiective cognoscibilia per apprehensiones confusas et de diffinitione et diffinito cum dicitur quod sunt idem, cum igitur dicit Aristoteles quod scientia est conclusionis debet accipi, ut constructio intransitiva, id est scientia est mentalis conclusio demonstrationis, sicut intellectus est principiorum, id est ipsa apprehensio com- **[83a]** –plexa que est premissa et principium demonstrationis vel scientia est conclusionis, id est notitia conformis conclusioni vocali vel scripte significando omnino et adequate idem et eisdem modis grammaticalibus et logicalibus natis convenire utrique, differens tamen penes significare naturaliter et ad placitum. Vel si accipitur secundum transitivam locutionem scientia est conclusionis, id est cognitio complexa quod sic est sicut esse significatur per conclusionem et intellectus est principiorum, id est cognoscere sic esse, scilicet sicut significatur per principium. Vel si scientia accipitur pro habitu scientifico, sic scientia est conclusionis, id est habitualis notitia conformis conclusioni actuali, idem enim et eisdem modis cognoscitur habitualiter per scientiam et actualiter per conclusionem.

Ad secundam demonstrationem, aut etiam scientiam esse alicuius potest intelligi dupliciter, vel ut obiective ostensi demonstrative et scientifice, vel ut effectus vel consequentis illati. Correspondenter, aliquid dicitur demonstrabile vel scibile dupliciter, aut ut obiective ostensum, aut ut effectus vel consequens illatum proportionabiliter alicuius esse diffinitionem

intelligitur dupliciter vel ut quidditative ostensi et iudicati, et sic rerum extra est diffinitio et res extra est diffinitum. Aliomodo ut conceptus impliciti cui correspondet conceptus explicatus et resolutivus et compositus ex genere et differentiis, et sic diffinitum est predicabile commune, quod est species vel genus subalternum. Cum, igitur, dicitur illius est scientia cuius est demonstratio et quod est demonstrabile. Si intelligitur cuius tamquam obiective ostensi per demonstrationem eius ut obiective scibilis est scientia, conceditur maior et negatur minor. Si vero intelligitur cuius tamquam effectus vel consequentis illati est demonstratio eius, ut obiective sciti est scientia negatur.

Ad tertium, accipiendo verum ut est proprietas signi complexi negatur maior, nisi sit locutio et constructio intransitiva, id est quod sola notitia complexa veridica nata per medium demonstrative concludi est scientifica.

Ad quartum, negatur maior accipiendo quesibile pro eo quod obiective queritur per questionem ex conceptibus rectis rerum ex ira, cum enim queritur an omnis triangulus habet tres, questio est ipsa propositio dubia, sed quesibile est illud quod per questionem significatur. Ad confirmationem concedo quod conclusio scientifica, queritur tamquam res que desideratur intelligi et acquiri in animo. Sed illud quod primo et directe queritur tamquam scibile ignoratum et notificandum non est scientia, nec conclusio sed sic esse vel non esse, negatur igitur maior loquendo proprie de quesibile quod queritur tamquam obiective notificandum et cuius notitia habenda desideratur. Primo autem modo tota demonstratio queritur.

Ad quintum negatur consequentia. Ad probationem illud dictum repetitum accipitur in variis sensibus. Nam sensus illius verbi, ut primo ponitur a Philosopho est quod in substantiis immaterialibus eadem natura est intelligibilis et intellectiva sic etiam in solis actibus intellectus. Idem est scientia et scibile, id est eadem res est intellectio et est obiectum intelligibile sive seipsa sive alia cognitione. Unde, tertio De anima capitulo quarto, dicit sic: “ipse intellectus est intelligibilis sicut intelligentia”. In hiis enim que sunt sine materia, idem est intellectus et quod intelligitur. Scientia autem speculativa et sic scibile idem est. Quod autem hoc dictum non allegatur convenienter contra conclusiones positas, patet per expositionem Commentatoris, ibidem, commento 15, dicentis “intellectus possibilis intelligitur per intellectionem in eo existente differentem a sua substantia. Si enim esset intellectus per se contingeret ut scientia speculativa et scitum essent idem quod est impossibile”, hec Commentator. **[83b]**Alius autem

sensus eiusdem verbi repetiti duobus capitulis sequentibus secundum intentionem Aristotelis est quod scientia et intellectio est quodam modo ipsum scibile et intelligibile, scilicet per assimilationem et representationem. Unde, et imago beati Nicolai dicitur beatus Nicolaus, et res dicuntur esse in anima eo quod intellectiones earum sunt in anima, iuxta etiam hunc modum loquendi dicitur 2 De anima, quod visus est coloratus quodam modo, scilicet in habendo speciem coloris et ita species coloris dicitur color propter similitudinem et representationem. Et quod illa expositio sit secundum intentionem Philosophi, patet, nam 3 De anima circa principium dicit quod intellectus nihil est eorum que sunt ante intelligere et postea dicit quod intellectus sit singula, cum scit et operatur per seipsum et infra potentia quodam modo est intelligibilia intellectus, sed actu nihil antequam intelligat. Item, circa medium tertii libri, declarans et exponens quod supra dixerat, dicit quod anima est quodam modo omnia que sunt tam sensibilia quam intelligibilia. Scientia enim est scibilia et sensus est sensibilia, sed quia hoc non est accipiendum, ut verba sonant, subdit “qualiter autem hoc sit, oportet inquirere”, et consequenter declarat quod “tam scientia in actu, quam ipsa anima sciens in actu dicitur scibilia in actu et scientia in potentia et anima sciens in potentia, dicitur ipsa scibilia in potentia et eodem modo sensus in actu est sensibile in actu et sensus in potentia est sensibile in potentia”. Et subdit quod “ista non sunt in anima, sed species illorum, lapis enim non est in anima, sed species lapidis, igitur anima et scientia dicuntur esse ipsa scibilia et intelligibilia secundum quandam assimilationem et transformationem per intellectiones et species representativas. Et conformiter, huic modo loquendi dicitur 3 De anima, quod ‘intellectus possibilis est quo anima potest omnia fieri et intellectus agens est quo anima potest omnia facere’. Hoc autem dicit Aristoteles. Ad declarandum quomodo veritatem habeat opinio Antiquorum dicens animam esse compositam ex omnibus, ut omnia intelligeret, quoniam intelligere fit per assimilationem. Et dicit Aristoteles quod non oportet eam realiter componi ex omnibus, scilicet secundum quandam transformationem et assimilationem et representationem fit omnia. Conformiter dicit interdum Commentator quod materia prima est in potentia omnes forme et fit in actu omnes forme, et quod intellectus fit omnia intelligibilia. Intellectus enim utitur intentionibus rerum pro rebus. Iuxta hunc modum loquendi dicit Augustinus 9 De trinitate, 11 et 12, quod cum mens cognoscit se notitia et verbum est par et equale et idem menti. Et ibidem, capitulis 2 et 4, dicit quod sunt eadem substantia cum anima.

Ad sextum, negatur minor, quia nulla pars illius dicti vel orationis supponit ibi materialiter vel simplici, sed personaliter sicut nec in ista ‘scio vel video quod Socrates est albus vel fuit albus’. Ad probationem, licet ille consequentie non valeant, tamen illud dictum non supponit simpliciter. Ad probationem dicendum quod illud est verum, quando terminus universalis distributus supponit confuse et mobiliter non immobiliter. Et hoc contingit quando terminus communis cui preponitur signum universale est totale vel principale subiectum vel predicatum et signum non est pars subiecti, sed distributivum subiecti non autem quando talis terminus communis non est principale vel totale extremum, sed aliud et signum est pars subiecti vel predicati, ita quod propositio est implicite et equivalenter singularis ut dicendo ‘scio omnem triangulum habere tres’, li ‘omnem’ non est distributio predicati sed pars, et li ‘scio’ est principale predicatum, sicut de ista ‘omne animal currere vel vigilare est mihi dubium’, vel ‘omne animal esse hominem est impossibile’. Potest igitur dici quod cum [84a] dicitur ‘scio omnem triangulum habere tres’, li ‘triangulum habere tres’ determinat formaliter et directe obiectum scientie. Ideo primo et directe termini illius dicti supponunt personaliter, sed implicite et virtualiter determinat qualitatem notitie, quia implicatur quod habeo notitiam conformem isti propositioni ‘omnis triangulus habet tres’, ideo implicite et consequenter illud dictum stat simpliciter. Si autem quis velit dicere quod in dicta propositione determinatio appositae verbo sciendi determinat primo et directe qualitatem scientie et consequenter qualitatem obiecti. Sic negatur maior, sicut aliter supponit hec propositio vel eius termini dicendo ‘omnis homo currit’ et dicendo ‘ego significo et profero quod omnis homo currit’. Ex hoc patet quod syllogismus additus peccat per fallaciam accidentis, quia li ‘omnis triangulus habet tres’ tenetur personaliter in maiori, sed tenetur materialiter vel simpliciter in minori, sicut si argueretur sic: desidero quod Petrus sit albus, sed hec est quedam propositio, igitur desidero hanc propositionem; vel odio summe quod Petrus damnetur, sed hec est propositio, igitur odio summe hanc propositionem, quod est falsum, quia formo eas libere.

Quarta conclusio: obiectum immediate scitum per scientiam qua scitur formaliter Deum esse vel ‘omnem triangulum habere tres’ etc., est intelligibile vel intelligibilia ens vel entia extra animam actu vel potentia significatum vel significata per huiusmodi propositiones. Probat, quia vel est conclusio demonstrationis mentalis vel eius significatum non idem illi, non primum patet, supra igitur secundum.

Preterea, ad hoc sunt multe rationes posite supra pro prima conclusione et questione precedenti. Ad primam conclusionem.

Preterea, illorum tamquam obiective scibilium vel ostensorum est scientia de quibus per se tamquam de obiectis est scientia. Sed hoc est de intelligibilibus extra animam. Patet, quia arismetica est de numeris et geometria de magnitudinibus et figuris, et musica de sonis, et physica de motu, et astralogia de stellis etc.

Preterea, illius ut obiective sciti, vel ostensi est scientia pro quo immediate verificatur notitia scientifica et conclusio demonstrationis. Sed hoc est pro intelligibilibus significatis. Igitur maior patet, quia scientia est vera pro obiective scibili et scito cum ab eo mensuretur. Minor probatur, hec enim conclusio, ‘omnis triangulus habet tres’, verificatur pro triangulis extra animam, et non nisi pro illis. Tum quia pro eodem verificatur vocalis et scripta et mentalis, tum quia subiectum non supponit pro conceptu anime, quia falsa esset, ille enim non habet tres. Tum quia hec singularis, ‘hic triangulus habet tres’ verificatur pro hoc triangulo, et sic de quolibet singulari. Igitur, universalis verificatur pro eisdem, alioquin inductio a singularibus ad universalem non esset conveniens. Tum quia posito quod ‘hic triangulus habeat tres’ de illo similiter etc., sequitur quod illa universalis est vera circumscripto quocumque alio, et hoc remoto non foret vera, igitur.

Preterea, illud est scibile obiective cuius primo causa queritur et per demonstrationem habetur, sed hoc non est conclusio, sed significatum conclusionis, igitur maior patet 1 Posteriorum. Scire est rem per causam cognoscere, et quoniam illius est causa. Minor probatur. Cum enim queritur vel assignatur causa quare luna est eclipsabilis non assignatur, nec queritur causa actus mentis mee.

Preterea, sicut se habet scientia large dicta ad scitum large dictum, sic scientia proprie sumpta ad scitum proprie sumptum. Sed illud est intelligibile extra animam, probatur per Augustinum 15 De trinitate, 5 capitulo “duo sunt genera rerum que sciuntur”. Unum est earum rerum que per sensus corporis percipit animus. **[84b]** Alterum autem eorum que per seipsum percipit animus ut est illud ‘scio me vivere’. Et iterum ibidem absit ut scire nos negemus que per sensus corporis didicimus, ut celum et terram et ea que in eis sunt, absit etiam ut scire nos negemus que testimonio aliorum didicimus, alioquin nesciremus oceanum et terres et urbes quas

celeberrima fama commendat. Confirmatur per illud quod positum est de obiecto fidei questione precedenti probando tertiam conclusionem.

Preterea, sicut ars ad artificiale et prudentia ad illud quod immediate per prudentiam cognoscitur, sic scientia ad scibile. Sed artificiale circa quod et respectu cuius obiective immediate est ars est intelligibile extra animam, patet 6 Ethicorum “ars est circa factibilia et de factibilibus a nobis et est circa eadem circa que interdum est fortuna”. Similiter, secundum Philosophum ibidem, “Prudentia est circa conferentia homini et circa bona et mala homini”.

Quinta conclusio, obiectum per se et immediate scitum per scientiam qua scitur quod ‘Deus est’ vel quod ‘omnis triangulus habet tres’ non est aliquod intelligibile significabile complexe distinctum ab omnibus entibus et rebus incomplexis significabilibus actu vel potentie existentibus. Probatur, quia nullum tale significatur per propositionem veram vel per dictum conforme conclusioni demonstrate, ut probatum est in superioribus.

Preterea, aut illud intelligibile ponitur actualiter extra animam aut tantum in anima. Si primum, igitur est ens singulare vel entia singularia. Et rationes partis adversarie contra hanc conclusionem eque reducuntur contra hoc. Si secundum, igitur, non est nisi conclusio mentalis quod est supra improbatum et contra ponentes huiusmodi complexe significabile esse per se obiectum scibile.

Preterea, vel illud obiectum scibile significabile complexe est idem cum rebus singularibus extra animam et propositum, quia argumenta aliorum contra quartam conclusionem eque erunt contra ipsos aut non est idem, aut igitur est omnino extra singularia et separatum a singularibus aut in singularibus. Si secundum propositum ut prius. Si primum, contra: tum quia extra animam essent separata actualiter universalia, et ita non vere predicarentur de singularibus, tum quia subiectum conclusionis demonstrate seu demonstrationis non supponeret pro singularibus, nec minus esset vera circumscriptis singularibus. Item, vel illud obiectum est singulare vel universale. Si primum, propositum ut prius. Si secundum, aut igitur extra singularia totaliter ut prius etc.

Preterea, illud obiective scibile significabile complexe quod dicitur ‘omnem triangulum habere tres’, aut formaliter intrinsece includit hunc triangulum habere tres aut non. Si primum, igitur

pari ratione includit illum triangulum habere tres. Sed contra, tum quia erit continue generabile et corruptibile secundum partes intrinsecas et erit presentialiter hic secundum partem et presentialiter alibi secundum aliam partem et includit formaliter res singulares. Et contra hoc sunt argumenta adversarie partis. Tum quia, si includit hunc triangulum habere tres et illum habere tres etc., cum nihil plus includat sequitur quod non est nisi precise aggregatum ex illis complexe significabilibus, quorum quodlibet est contingens et corruptibile, et quorum neutrum est scibile secundum te, igitur non erit nisi aggregatum ex non scibilibus et singularibus contingentibus, tum quia conclusio demonstrationis non verificaretur nisi pro intelligibili complexe significabili, non scito nec scibili, quia non verificabitur, nisi pro illis complexe significabilibus corruptibilibus. Si secundum, igitur, nec includit illum triangulum habere tres etc., nec est idem illis vel alicui [85a] illorum. Sed contra, tum quia esset intelligibile omnino distinctum et separatum ab istis singularibus et extra ipsa, et per consequens universale est extra animam totaliter extra singularia, tum quia ex conclusione universali demonstrata non inferretur quod hic triangulus habet tres, quia non includebatur, nec formaliter significabatur hic triangulus habere tres, tum quia sicut triangulus ad hunc triangulum, sic triangulum habere tres ad hunc triangulum habere tres. Sed hic triangulus est triangulus ut triangulus in communi est aliquid distinctum extra animam ab omni triangulo singulari, igitur. Tum quia sequitur quod mathematicus per scientiam mathematice nihil scit de numeris, nec figuris. Probo, per illam scientiam nihil scitur de numeris cuius scientie numerus non est obiectum, neque totale, neque partiale. Sic autem esset, igitur. Et per idem arguitur quod per fidem quam fidelis habet non credit in Deum, nec de Deo, quia illius fidei Deus non esset obiectum, nec totale, nec partiale.

Preterea, illud obiectum intelligibile complexe significabile quod est omnem triangulum habere tres. Aut est contingens et mutabile, et tunc argumenta partis adverse reducuntur contra hoc, sicut de rebus singularibus incomplexis significabilibus. Aut est necessarium et immutabile, et tunc extra Deum esset intelligibile positivum actualiter in universo positum formaliter necessarium et immutabile quod repugnat contingentie creature.

Preterea, si obiectum immediatum scientie negatur esse res singulares incomplexis significabiles, et tamen ponitur quoddam complexe significabile extra animam hoc esset, quia convenienter et vere diceretur quod binarium esse parem, scitur a me vel quod scio binarium esse parem. Non autem convenienter dicitur quod scio binarium et ita binarius non videtur

obiectum sufficiens illius assensus scientifici, sed hoc non valet. Probo primo, quia hunc hominem esse risibilem, non esset hominem esse risibile, quia scio hoc et non scio illud. Similiter, hominem esse risibilem non esset animal rationale esse risibile, quia cognosco hoc cognitione scientifica et cognosco illud cognitione que est intellectus, quia hoc est ut conclusio et illud ut principium. Similiter, Deum esse non esset Deus, quod supra improbatur.

Preterea, omnino idem obiective intelligibile potest correspondere adequate notitie scientificae et notitie non scientificae, et assensui scientifico et assensui non scientifico vel dubitationi in eodem intellectu, igitur propter differentiam huiusmodi actuum anime, non oportet ponere extra animam differentiam huiusmodi intelligibilium complexe et incomplexae. Antecedens probatur. Tum quia ut prius scio hominem esse risibilem, non autem hunc hominem vel animal rationale esse risibile. Tum quia vero mediato et vero immediato potest correspondere idem obiective complexe significabile ut principio et conclusioni. Dicta enim correspondentia predicatur de se invicem. Tum quia conceptus correspondentes istis terminis intelligibile, significabile, quesibile, scibile non sunt notitie scientificae nec veridicae, et tamen predicantur de dictis correspondentibus conclusioni demonstrationis et explicantibus complexe intelligibilia scibilia, que alii ponunt cum scio Deum esse potentie alicuius, et dubito an potentie infinite. Et scio Petrum esse album et dubito an in quarto gradu et multa huiusmodi.

Contra predictas conclusiones primo, illud cuius obiective per se et de quo per se est scientia est universale nullum significatum extra est universale, igitur maior patet 1 Posteriorum et 7 Metaphysice. Secundo, illius obiective et de illo est per se scientia qua scitur omnis triangulus habere tres, cui per se primo et secundum quod ipsum convenit habere tres et secundum quod convenit omni alteri (habenti tres) habere tres. Patet 1 Posteriorum **[85b]** Sed universale est huiusmodi et non aliquod extra animam significatum per conclusionem, quia extra animam non sunt nisi singulares trianguli, quibus non convenit illud sic, igitur.

Tertio, illius et de illo ut obiective ostenso est per se scientia cuius, ut obiective ostensi et iudicati est per se primo diffinitio. Solum universale est huiusmodi et non aliqua res significata extra animam, igitur maior patet, quia diffinitio est principalior pars demonstrationis, vel tota demonstratio positione differens secundum Aristotelem. Igitur, cuius ut obiective ostensi est per se diffinitio eius est per se demonstratio et per consequens. Scientia minor probatur, quia singularium non est per diffinitio, patet 7 Metaphysice, si autem eius ut obiective et diffinitive

iudicati esset primo et immediate diffinitio, tunc primo et per se esset diffinitio singularis. Patet item, quia diffinitio ostendit quid est diffinitum, sed diffinitum est universale, igitur.

Quarto, ad notitiam scientificam per demonstrationem acquisitam necessario requiritur notitia conclusionis, igitur notitia scientifica est conclusionis ut obiective sciti. Consequentia patet, quia si aliqua notitia conclusionis requiratur necessario, maxime videtur illa que est scientifica. Antecedens probatur, quia *a* demonstrante oportet subiectum conclusionis cognosci. Probatur 1 Posteriorum de subiecto scientie presupponitur quia est et quid est. Subiectum autem scientie est subiectum conclusionis. Si autem oportet subiectum cognosci, igitur pari ratione oportet cognosci predicatum, igitur pari ratione medium. Si autem oportet partes cognosci, igitur et totum. Confirmatur, demonstrantem et scientem necessarium est cognoscere principia, igitur et conclusionem. Antecedens probatur: tum quia de dignitate oportet precognoscere quia est, 1 Posteriorum; tum quia ibidem arguit sic Philosophus propter quod unumquodque tale et illud magis. Sed scimus et credimus conclusionem propter principia, igitur oportet magis credere et scire principia, tum 1 Posteriorum, demonstrativa scientia est ex primis et veris notioribus prioribus quam etc. Si autem principia sunt notiora et certiora et evidentiora, igitur sunt nota cum ut supra intellectus est principiorum, ut scientia conclusionum. Tum, 1 Priorum, “syllogismus est oratio in qua quibusdam positis et concessis etc. Sed nihil conceditur nisi cognitum etc., igitur.” Quinto, scientia non est significati per principium tamquam per se obiective sciti, igitur nec significati per conclusionem. Antecedens probatur, quia significatum per principium est per se notum et evidens, nec est quesibile et sic esse, sicut per principium significatur. Consequentia probatur, quia idem omnino est significabile complexe per principium et conclusionem. Probo, quia principium et conclusio non differunt, nisi quia subiectum conclusionis est diffinitum et subiectum principii est diffinitio. Sed idem est significatum per conceptum diffiniti et per conceptum diffinitionis, quia diffinitio predicatur personaliter in quid de diffinito. Et patet, quia idem omnino est in re homo et animal rationale. Et idem est in re extra hominem esse risibilem et animal rationale esse risibile. Confirmatur: scibile est minus notum et evidens quam ea per que et propter que scitur. Sed significatum conclusionis non est huiusmodi, quia est idem cum significato principii, vel sic illius ut obiective ostensi est demonstratio et scientia quod scitur per aliud magis notum, et in hac habitudine ad aliud prius magis notum. Sed significatum conclusionis non est huiusmodi, immo ipsa conclusio, igitur maior patet tum 1 Posteriorum, “scientia demonstrativa est ex prioribus et

notioribus, etc”. Tum quia dubitabile et quesibile non addicitur scientificè nisi per aliquod notius, quia propter quod unumquodque tale et illud magis. Minor probatur, quia significatum principii est idem significato pro **[86a]** conclusionem ut probatum est, igitur. Sexto, idem omnino esset per se et immediate obiectum scientie et opinionis et fidei et erroris, et apud eundem hominem, ita quod idem omnino obiective esset simul ab eodem scitum et opinatum et creditum, et false et erroneè iudicatum. Probo, quia contingit quod aliquis sciat Deum esse unum essentialiter et esse alicuius potentie et opinatur ipsum esse ens infinitum et credit ipsum esse libere volitivum et errat dissentiendo ipsum esse incarnatum, et tamen obiective significatum per huiusmodi dicta est idem realiter, quia unum dictum verificatur de alio personaliter et quodlibet istorum est ipse Deus.

Septimo, illius ut obiective ostensi est per se demonstratio et per consequens scientia quod per demonstrationem est clare et evidenter scitum et nullo modo ignoratum, nec dubitatum nec restat addiscendum habita illa demonstratione, et non illius quod contingit ignorari vel dubitari vel ulterius addisci per huiusmodi demonstrationem habitam. Sic est de conclusione et de significatis per eam, igitur maior patet per demonstrationem enim est aliquid notum evidenter et clare et perfecte, et illud non est nisi scibile. Unde 1 Posteriorum, “scibile non potest perfectius cognosci quam per scientiam et demonstrationem ex principiis”. Minor probatur, significabilia enim per conclusionem demonstrationis probantis quod omnis triangulus habet tres sunt hic triangulus singularis et ille etc., vel sunt hunc triangulum habere tres et illum triangulum habere tres. Hec autem non cognoscuntur per illam notitiam universalem perfecte et clare. Sed tantum imperfecte confuse et indistincte, et habens illam notitiam universalem est in potentia ad addiscendum hec. Unde Aristoteles, 1 Posteriorum, “habita demonstratione quod omnis triangulus habet tres, non scitur quod hic triangulus habeat tres, nisi per accidens et in potentia”. Et contra Platonem, Aristoteles ponit quod non sequitur ‘scio omnem dualitatem esse parem, ergo scio hanc dualitatem esse parem, immo scito quod omnis dualitas est par’. Si ostendatur noviter hec singularis dualitas apprehenditur et addiscitur noviter aliquid prius ignotum. Patet item quia 1 Posteriorum, “possum scire quod omnis mula est sterilis et ignorare vel dubitare an hec mula sit sterilis, et an habeatur fetum in utero”, igitur etc.

Octavo, per omnem demonstrationem et scientiam est aliquod scibile per se et primo et immediate scitum in actu, et respectu cuius per se notitia dicitur scientifica. Scientia enim

refertur per se primo ad scibile, 5 Metaphysice, quero quid sit illud secundum rem. Si conclusio demonstrationis, vel complexe significabile universale distinctum a rebus singularibus extra significabilibus incomplexis, hoc est contra te: si aliquod alterum significatum extra, contra quia omnem triangulum habere tres, nihil est extra animam, nisi hic triangulus et ille vel hunc triangulum habere tres vel illum triangulum habere tres etc. Sed ista non sunt scibilia per se primo et immediate in actu scita, nec respectu eorum ut scitorum vel scibilium dicitur notitia scientifica per se probo multipliciter. Primo, quia non est conveniens sermo dicere ‘scio hunc triangulum’, nec est responsio conveniens ad questionem qua queritur quid scias.

Secundo, quia homo non est clare et evidenter et distincte notum per illam scientiam universalem.

Tertio, sequitur notitia singularis seu propositio mentalis singularis esset primo scientifica. Probo, quia est per se et distincte et perfectius et immediatius cognitio obiecti per se et primo scibilis et magis per se et immediatum ordinem habet ad illud.

Quarto, scientia esset de contingenti aliter se habere tamquam de per se scibili. Consequens est contra Aristotelem, 1 Posteriorum et 6 Ethicorum, capitulo 3, “omnes suspicamur quod scimus non contingere aliter se habere, contingencia enim aliter se ha- **[86b]** - bere latent, si sunt vel non sunt cum extra speculari stant ex necessitate, ergo est scibile et eternum. Consequentia probatur quia hic triangulus et hunc triangulum habere tres est corruptibile et possibile aliter se habere. Si enim hic triangulus nihil sit non habet tres angulos etc., et ita scitum possit non esse scitum stante demonstratione et scientia priore et notitia respectu alicuius, aliquando esset scientifica et aliquando non et aliquid esset scientificè notum per aliquam demonstrationem et scientiam, et aliquando non etiam manente illa, igitur. Nono, obiective scitum per se et immediate per demonstrationem qua scio quod omnis triangulus habet tres, aut est aggregatum collective ex omnibus singularibus triangulis seu ex omnibus significabilibus complexe per omnes singulares propositiones illius universalis collective sumptas, sive de triangulis existentibus sive non existentibus, ita quod cum dico. Scio omnem triangulum habere tres istud dictum supponit pro dicto aggregato. Idem enim significatur per universalem et per omnes singulares collective sumptas, aut secundo est aggregatum ex triangulis existentibus, tantum seu ex significabilibus complexe per singulares formabiles de triangulis existentibus tantum, aut tertio est quilibet triangulus divisim seu quodlibet

significabile complexe per quamlibet singularem propositionem divisim. Si primum, contra: tum quia scientia esset falsa, illud enim quod omnino nihil est non habet tres angulos equales duobus rectis, quia nec est equale, nec maius, neque minus. Et quia sicut non est quantitas bipedalis, ita nec trium angulorum, nec figuratum, nec quantum, tum quia falsum est quod illud aggregatum habeat tantum tres angulos equales duobus rectis, si unus habet tres, igitur duo trianguli simul sumpti habent sex angulos equales quattuor rectis, igitur infiniti collective sumpti habent infinitos. Tum quia cum dicitur omnis triangulus habet tres ibi est distributio triangulorum non collectio, aliter non sequeretur, igitur iste triangulus habet tres. Si detur secundum, contra. Tum quia ut supra, scibile per se et primo scitum per aliquam demonstrationem et scientiam desineret esse scitum stante et manente illa demonstratione et scientia et notitia scientifica eadem non semper esset eiusdem per se scibilis. Sed respectu alicuius per se et immediate esset scientifica nunc et non prius, nec consequenter scire hodie idem quod haberi per eandem scientiam, quia trianguli heri existentes non existunt hodie, sed succedunt alii; tum quia scientia esset respectu contingentis aliter se habere ut per se obiecti scibilis; tum quia falsum est ut supra quod omnes trianguli nunc existentes collectivi sumpti habeant tres angulos equales duobus rectis, immo habent multo plures, et tamen contingit scire quod omnis triangulus habet precise tres angulos equales duobus rectis. Tum quia scire quod omnis triangulus habet tres non esset, nisi scientia qua formaliter cognoscitur omnem triangulum nunc existentem habere tres. Sed hoc est falsum, quia omnis notitia seu talis notitia non est scientifica, nec idem adequata exhibetur per illam conclusionem et per istam propositionem, quia illa conclusio exhibet indifferenter omnem triangulum, sive existat sive non et ista propositio esset magis, per se et primo scibilis, quam illa conclusio universalis quod est falsum, ex eisdem potest improbari tertium.

Decimo, illius tamquam obiective ostensi et de illo tamquam obiective scibili, non est per se primo scientia pro quo non verificatur conclusio demonstrationis, et quod non est causa veritatis scientie et conclusionis demonstrate, nec ab illo dependet scientia et veritas conclusionis demonstrate. Patet quia ista conveniunt scibili respectu scientie, est enim mensura 5 Metaphysice, capitulo ad aliquid. Sed singularia extra ani- **[87a]** -mam sunt huiusmodi, probatur multipliciter. Primo, quia hec est vera per se primo modo, triangulus habet tres et secundum quod triangulus, sed non est vera per se primo pro aliquo singulari triangulo extra animam, quia ille non habet primo tres etc. Secundo, quia scientia non verificatur primo et per

se pro illis rebus propter quarum varietatem non variatur scientia de veritate in falsitatem. Veritas cui necessaria et immutabilis non verificatur per se et primo pro entitate mutabili et corruptibili, nec ab ea per se dependet. Sed res singulares sunt corruptibiles. Tertio, ab eodem dependet veritas scientie et evidentia scientie. Sed evidentia scientie non dependet a rebus singularibus extra. Tum quia evidentia scientie sufficienter dependet ab illatione syllogismi demonstrativi, tum quia per notitiam scientificam cognoscuntur ille res singulares imperfecte et confuse, et latet animam an sint vel non, immo per sensum evidentius cognoscuntur. Quarto, sequitur quod quanto scientia vel demonstratio esset minus universalis, tanto esset dignior et prior. Consequentia patet, quia tanto esset propinquior prime cause veritatis sue et suo per se scibili. Consequens est falsum, quia quanto scientia vel demonstratio est minus universalis, tanto est indignior et in veritate posterior secundum Aristotelem 1 Posteriorum, capitulo 23 et ex 1 Metaphysice.

Quinto, sequitur quod notitia singularis et qua formaliter cognoscitur, quod hic triangulus habet tres esset per se magis scientifica quam illa universalis. Probo, quia magis per se et distincte ostenderet et exhiberet idem per se scibile et causam veritatis et scientie, sicut primo Metaphysice “Socrates sanatur per se, homo per accidens”.

Sexto, sequitur quod quelibet singularis propositio erit prior et causalis respectu conclusionis universalis demonstrate. Patet consequentia, quia si hec conclusio universalis, omnis triangulus habet tres verificatur per se et primo pro hoc singulari et pro illo, ut pro causis sue veritatis, igitur hunc triangulum habere tres est una causa partialis quare illa universalis est vera et omnes singulares erunt per se causa totalis illius veritatis universalis. Falsitas consequentis probatur, quia talis universalis posset sciri propter quid et a priori per inductionem in singularibus, quod est contra Aristotelem 1 Posteriorum, capitulo 5, quia nec per huiusmodi inductionem est scientia. Patet etiam falsitas consequentis, quia propositio in qua predicatur passio de suo primo subiecto universali est prior et causalis respectu propositionum in quibus eadem passio predicatur de subiecto secundario non convertibili. Convenit enim primo et secundum quod ipsum illi primo subiecto convertibili et propter ipsum convenit aliis, ut ysocheles habet tres secundum quod triangulus, et quia triangulus non econtra et demonstratur de subiecto inferiori per subiectum primum 1 Posteriorum, igitur etc.

Ad primum demonstrationem vel scientiam esse alicuius vel de aliquo potest intelligi quadrupliciter vel tamquam consequentis illati et hoc est ipsum complexum quod est conclusio demonstrationis, aut tamquam subiecti de quo concluditur demonstrative aliquod predicatum, aut tamquam predicabilis quod per demonstrationem infertur predicari de aliquo, aut tamquam obiective ostensi et notificati. Maior tamen conceditur primis duobus modis. Sed negatur quarto modo. Non enim oportet quod sit universale, sed universaliter ostensum et notitia universali, et sic intendit Aristoteles loquitur enim de universalibus locutione transitiva quasi universalia forent obiecta intelligibilia extra animam. Sed sermones eius intelligendi sunt intransitive. Ad secundum maior conceditur, accipiendo scientiam esse alicuius tamquam subiecti de quo concluditur predicatum. Sed negatur ac- [87b] -cipiendo scientiam esse illius ut obiective sciti, quia huiusmodi determinationes per se primo secundum quod ipsum sunt termini secunde intentionis et sunt modificationes predicatorum, et propositio in qua ponuntur sit de actu signato.

Ad tertium diffinitionem esse alicuius intelligitur dupliciter. Uno modo tamquam signi et conceptus vel predicabilis impliciti et implicite indicantis id quod diffinitio indicat explicite et dearticulate explicando genus et differentias, et sic diffinitum et diffinitio distinguuntur realiter et diffinitum est universale et diffinitio est magis composita quam diffinitum. Conceditur autem quod de eo cuius sic est diffinitio eius est demonstratio et scientia tamquam subiecti vel predicati quod vel de quo per demonstrationem infertur predicari. Non autem de eo tamquam scibili obiective ostenso. Alio modo tamquam illius cuius essentiam et quidditatem diffinitio explicite indicat, et sic entium extra animam est diffinitio et eorum ut obiective ostensorum est scientia. Quod autem Aristoteles dicit singularium non esse diffinitionem intendit quod nullus conceptus singularis est proprie et per se diffinitio vel diffinitum eo modo quo locuti sunt Philosophi de diffinitione et diffinito de talibus enim sub conceptibus singularibus non est scientia, et quia diffinitio quidditativa huius singularis et illius videtur omnino eadem et similis sine differentia aliqua, ideo sufficit addere pronomen demonstrativum ad appropriandum. Vel si accipitur aliqua differentia illa est extra essentiam et quidditatem huius singularis vel infinite erunt differentie singularium secundum infinitam divisibilitatem huius differentie. Quod autem ipsius conceptus universalis non sit diffinitio ut ostensi obiective, patet quia querens quid est homo non querit quid sit ille conceptus, nec querit illius quidditatem sibi manifestari. Et quia cum respondetur quod est animal rationale non indicatur quid essentialiter et quidditative sit ille conceptus mentis, quia indicatur quidditas substantie non accidentis. Ille enim conceptus

compositus non magis indicat quid sit ille conceptus implicitus quam econtra, sicut ista oratio 'animal rationale' non indicat quid sit ista vox homo magis quam econtra. Ad quartum negatur antecedens, sed requiritur notitia que est conclusio mentalis, vel requiritur notitia conformis et correspondens conclusioni exteriori. Ad probationem, Aristoteles accipit subiectum per obiective universaliter significato per conceptum correspondentem subiecto iuxta communem usum loquendi, vel intendit quod preexigitur haberi diffinitio subiecti, id est conceptus explicativus correspondens conceptui implicito.

Ad confirmationem, negatur antecedens nisi in sensu supraposito. Dicendo ad primum contra tertiam conclusionem. Ad primam probationem antecedentis intelligitur quod oportet precognoscere sic esse, scilicet sicut per principium significatur vel oportet primo haberi principium seu apprehensionem correspondentem principio vocali cum assensu conformi. Ad secundam concluditur quod notius est sic esse, scilicet sicut significatur per primum quam sic esse sicut significatur per conclusionem, et hoc est quod hec notitia est perfectior clarior et evidentior non obiective, sed ostensive formaliter. Ad alias probationes per idem. Ad quintum, conceditur quod scientia non est significati per principium, quatenus significatur per principium nec aliqua notitia adequate significans complexe vel incomplexe conformiter principio est scientifica. Ideo sic accipiendo antecedens, negatur consequentia, tamen illud obiective intelligibile quod est complexe significatum per principium et de quo vere predicatur dictum correspondens principio est realiter obiectum intelligibile scibile, et est illud intelligibile scibile cuius ut obiective sciti est scientia. Et sic negatur antecedens. Ad probationem conceditur illud assumptum[88a] quia non importat nisi quod talis notitia complexa est certa, et evidens secundum exhibitionem sicut notum est mihi illud remotum esse animal, licet dubium sit mihi illud esse hominem, tamen illud esse hominem est realiter de facto illud esse animal. Ad probationem consequentie conceditur quod dictum correspondens principio predicatur personaliter de dicto correspondente conclusioni, tamen non adequate nec precise eadem intelligibilia significantur per utrumque, quia nec eadem adequate significantur per diffinitionem et diffinitum, sed plura per diffinitionem, licet alterum predicetur de altero. Ad confirmationem, antecedens intelligendum est quod notitia correspondens precise et adequate conclusioni demonstrationis non est ita clara sicut complexa notitia precise et adequate correspondens principio secundum tales conceptus, tamen sic esse sicut significatur per principium est sic esse sicut significatur per conclusionem, licet nulle due notitie complexe se

habeant ut conclusio et principium, si ostendant adequate idem, licet una perfectius quam alia maxime sit eiusdem rationis, sed oportet quod sint alterius rationis, et quod una convenienter ostendat plura quam alia, nisi forte in transcendentibus.

Ad sextum, negatur consequentia accipiendo consequens in sensu in quo communiter sit et accipitur, quia secundum communem usum, consequens intelligitur quod homo possit habere actum sciendi et dubitandi et errandi correspondentem et conformem precise et adequate et significando, et representando eidem propositioni, puta quod formata in mente hac propositione 'a est b' quod intellectus habet assensum scientificum formaliter et adequate conformem illi enuntiationi vocali, et actum dubitandi et errandi que sunt contraria. Accipiendo autem consequens quod idem intelligibile obiectum exhibetur per illos actus, et quod illi actus feruntur super idem obiectum materiale, et tendunt in idem, conceditur ita quod dictum correspondens actui certitudinis et dictum correspondens actui dubitandi, et dictum correspondens actui errandi predicantur personaliter de se invicem de facto, licet hoc lateat talem intellectum.

Ad septimum, conceditur maior de notitia clara et evidenti per se scientifica, et de ignorantia vel dubitatione ei opposita, potest tamen esse ignorantia alio modo, puta in particulari. Negatur autem minor, immo habita demonstratione mihi est evidenter notum omnem triangulum extra animam habere tres, et sic esse in re, et cum dicitur quod adhuc contingit ignorare, vel addiscere quod hic triangulus habet tres. Concedo accipiendo ignorantiam pro negatione scientie actualis et habitualis genite ex actuali, tamen talis est in potentia accidentali et proxima ad notitiam particularem habita notitia quod hic triangulus est triangulus, ex hoc igitur non probatur minor, quia sicut cognoscere quod hic triangulus habet tres est habere notitiam conformem huic propositioni singulari, ita ignorare quod hic triangulus habet tres est carere notitia complexa individuali conformi illi propositioni singulari. Ex his igitur non sequitur quin significatum conclusionis sit clare et evidenter notum notitia universali scientifica, et quin illa notitia complexa universalis sit evidens formaliter ostensive, et voco notitiam complexam conformem et correspondentem isti propositioni singulari, hic triangulus habet tres illam notitiam complexam cui hec propositio singularis subordinatur in significando aliqua sic quod significant eadem adequate tam complexe, quam incomplexo, et sub eisdem modis grammaticalibus et logicalibus natis convenire utrique. Et quidquid sufficit et requiritur ad veritatem et falsitatem unius et alterius, sed una significat naturaliter altera ad placitum.

Conceditur igitur quod sciens omnem triangulum habere tres potest addiscere aliquid sibi ignotum, scilicet quod hic triangulus habet tres, quod erat sibi ignotum in particulari, tamen erat notum notitia universali per se scientifica. Unde ex his potest argui pro conclusionibus supra positis, quod sicut se habet ignorare vel addiscere quod hic triangulus habet tres ad significatum huius propositionis singularis, ita ignorare vel addiscere quod omnis triangulus habet tres ad significatum huius propositionis universalis. Sed addiscere illud est addiscere significatum illius propositionis singularis, quia illud significatum singulare erat prius notum in potentia et nunc est notum in actu in particulari, igitur. Contra: habita illa demonstratione, hunc triangulum habere tres est ignoratum a te, et illum triangulum habere tres est ignoratum a te, et sic de singulis, igitur omnem triangulum habere tres est ignoratum et non scitum a te, sumendo dictum pro significatis extra vel sic: hunc triangulum habere tres non est scitum, nec evidenter notum a te, et illum triangulum habere tres non est scitum nec evidenter notum a te, et sic de singulis, igitur nullum triangulum habere tres est scitum vel evidenter notum a te, et de nullo triangulo extra singulari scitur habere tres, igitur nullum significatum extra est tibi evidenter notum, quia nullum est extra significatum per conclusionem, nisi hunc triangulum habere tres, et illum triangulum etc. Respondeo: si antecedens intelligatur quod non habens notitiam complexam singularem conformem illi propositioni singulari conceditur antecedens. Et hunc sensum magis importaret antecedens si terminus obiecti poneretur post terminum ignorantie vel scientie, et tunc negatur consequentia, quia consequens importat quod cares notitia universali evidenti, et scientifica conformi illi conclusioni universali, si vero antecedens intelligatur quod non habes notitiam, cuius obiectum sit illud intelligibile quod est hunc triangulum habere tres, seu quod illud intelligibile quod est hunc triangulum habere tres non est per se exhibitum obiective terminative per huiusmodi scientiam, sic negatur. Et hunc sensum magis videtur habere antecedens quando terminus obiecti proponitur termino ignorantie. Item, conclusio, id est omnem triangulum habere tres est ignoratum a te distinguitur, quia vel est propositio universalis, et li 'triangulum' est subiectum distributum, et li 'habere tres' est quedam determinatio subiecti, et sic conceditur quod omnem triangulum habere tres est ignoratum a te quodam modo in particulari, et est quasi sensus divisionis. Alio modo potest esse propositio singularis vel indefinita, et li 'omnem' non est signum distributivum trianguli, sed est pars subiecti, et est quasi sensus compositionis et sic negatur. Consimiliter, esset distinguendum de ista 'omne animal esse hominem est impossibile', ut enim est singularis, et quasi in sensu compositionis sic est

vera, ut autem est universalis et quasi in sensu divisionis sic est falsa. Primo modo, eius contradictoria est ista ‘omne animal esse hominem non est impossibile’. Secundo modo, eius contradictoria est ista ‘quodam animal non esse hominem est impossibile’, vel etiam ista ‘quodam animal esse hominem non est impossibile’. Primo modo syllogizando sub ista universali, oportet quod hoc totum sit medium ‘omne animal esse hominem’. Secundo modo, li ‘animal’ est medium. Primo modo, equivalet isti necesse est non omne animal esse hominem. Secundo modo equivalet isti necesse est omne animal non esse hominem. Ad formam additam, illa conclusio negativa, si accipitur quasi in sensu compositionis, scilicet quod sciatur hoc pre-**[89a]** -catum de tali subiecto, negatur quia non est aliqua scientia qua sciatur quod nullus triangulus habet tres, si vero accipitur quasi in sensu divisionis, scilicet quod nullus est singularis triangulus de quo habeatur notitia scientifica conformis alicui, conceditur, sed cum hoc stat quod scio omnem triangulum singularem extra habere tres, ita quod scientia feratur super singulare per huiusmodi propositionem tamquam super immediate scitum obiective. Oportet enim etiam secundum alios quos super huiusmodi significatum feratur saltem mediate. Ad octavum, aliquod scibile vel intelligibile est per se et primo et immediate scitum in actu per aliquam scientiam vel notitiam potest intelligi quadrupliciter. Primo, quia est obiectum adequatum illius scientie et notitie, sic quod per illam nihil cognoscitur nisi ipsum, vel contentum formaliter in ipso, et sic nullum intelligibile est per se primo cognitum in actu per aliquem conceptum universalem, et sic negatur illud assumptum. Nullum enim intelligibile sive in anima, sive extra animam cum sit quoddam ens singulare est sic obiectum adequatum notitie scientifice, quia notitia scientifica est universalis, tamen iuxta hunc sensum large loquendo diceretur quod per se primo scitum in actu est quod omnis triangulus est habens tres, vel quod est aggregatum ex omnibus significabilibus complexe per omnes per se singulares illius universalis sumptibiles vere sub illa universali, sed nullum intelligibile est omnia illa. Secundo modo, quia est obiective cognitum per illam notitiam distincte et determinate, ita quod intellectus habens huiusmodi notitiam non est in potentia ad notitiam propriam et distinctam illius obiecti, et sic negatur illud assumptum, quia sic nullum intelligibile est per se primo cognitum per conceptum universalem, quia quacumque tali habito remanet intellectus in potentia ad notitiam propriam individuaalem et distinctam cuiuslibet quod est obiectum prioris conceptus. Tertio modo, quia est obiective terminative representatum et exhibitum per illam notitiam, et non per accidens ex hoc quod sit coniunctum alicui, quod est per se exhibitum et representatum per illam, nec etiam representatur

mediante alio obiecto prius et immediatius exhibito, et sic conceditur illud assumptum, quoniam hunc triangulum habere tres est obiectum intelligibile quod per se primo et immediate exhibetur et cognoscitur per illam notitiam complexam scientificam, tamen in communi sicut hic triangulus est quoddam intelligibile quod est per se et immediate obiectum conceptus communis generalis correspondentis termino trianguli.

Quarto modo, quia est intelligibile pro quo verificatur sic quod non prius naturaliter, nec immediatius pro alio vel pro quo natum est verificari, et sic conceditur assumptum, et illud est significabile per propositiones singulares. Si vero intelligitur pro quo necessarium est verificari, et quod sufficit et requiritur ad verificationem illius notitiae, sic negaretur illud assumptum, sicut nullus est triangulus pro quo necessarium sit supponere hoc commune triangulus et qui necessario requiratur ad veritatem istius 'triangulus est'. Concesso igitur illo assumpto in tertio, et in quarto sensu cum queritur quid sit illud secundum rem, respondeo: illud est quod omnis triangulus habet tres, vel quod omnis homo erit risibilis etc. Non enim potest convenientius exprimi vel explicari. Potest etiam dici quod questio potest multipliciter intelligi. Aut enim queritur quod intelligibilia exhibentur et representantur obiective per huiusmodi scientiam, et dicendum quod omnia que per partes ipsius propositionis exprimentis illam scientiam, vel illud scibile. Aut secundo queritur pro quo obiective verificatur. Et dicendum quod pro omnibus pro quibus subiectum in illa conclusione vera stat, scilicet pro triangulis habentibus tres. Aut queritur tertio quid sit illud intelligibile quod est omnem triangulum habere tres. Et dicendum quod hec questio videtur esse eadem cum ista quod intelligibile est [89b] omnis triangulus habens tres. Et dicendum quod nullum intelligibile per se unum est omnis triangulus habens tres, vel omnem triangulum habere tres, sicut nullum intelligibile est simul hunc triangulum habere tres, et illum triangulum habere tres etc. Dico, igitur quod ad veritatem talis scientie non oportet querere, nec assignare aliquod intelligibile sive significabile complexe, sive incomplexe, sive in anima sive extra animam, quod sit precisum et adequatum et totale obiectum notitiae scientificae. Sustinendo igitur quod per se primo et immediate scitum in actu iuxta sensus prius concessos sit obiecta intelligibilia singularia significata per propositionem universalem, que est conclusio demonstrationis, alioquin nihil erit scibile, quia nihil est quin sit aliquod ens singulare, vel singularia in essendo. Ad primam improbationem, cum dicitur primo quod non est conveniens sermo dicere 'scio triangulum vel lapidem', vel hunc 'triangulum habere tres'. Concedo quod non est conveniens locutio vel responsio vel assignatio quid sciatur, sed est

locutio vel falsa, vel insufficiens et truncata, quia vel denotatur quod notitia scientifica est notitia incompleta vel singularis. Aut quia notitia scientifica est complexa et veridica, ideo non convenienter assignatur et explicatur obiectum scientie ut scitum nisi per propositionem vel per dictum conforme propositioni, quod sit determinatio verbi sciendi. Item, licet hunc triangulum habere tres sit intelligibile per se cognitum per illam notitiam scientificam, tamen non est nisi obiectum partiale, ideo non convenienter assignatur obiectum illius scientie cum queritur quid rei materiale obiectum scientie. Ad secundam, dicendum quod non est notum in particulari clare et distincte, sed in communi notum est clare et evidenter, sicut aliquod intelligibile obiectum natum est cognosci clare et distincte notitia scientifica. Talis autem non est nata esse notitia particularis et individualis seu distincta individualis, licet sit respectu individuorum obiective et materialiter, alioquin respectu nullius obiecti esset.

Ad tertiam, negatur consequentia. Ad probationem, licet sit distinctior secundum comparisonem individui ad individuum, et licet sit immediatior secundum quendam modum immediationis, non tamen est proprie scientifica eo modo quo locuti sunt philosophi de notitia scientifica. Demonstratio enim non est per se primo singularis. Per idem enim medium demonstratur de quolibet individuo, nisi cum quadam appropriatione que videtur coassumere aliquod accidentali quidditati individuorum. Unde et alii habent reddere causam quare notitia particularis non est scientifica. Ad quartam, quod scientia sit de contingenti aliter se habere ut per se scibili potest intelligi quod possibile sit non esse sic simpliciter in re, sicut significatur per notitiam scientificam, et sicut sufficit ad eius veritatem, et consequenter quod possibile sit notitiam scientificam ut talem esse falsam, et sic consequentia negatur, et sic intelligit Philosophus scientiam esse de necessariis, quia non est possibile quod nihil ponatur in re pro quo sufficienter verificetur. Alio modo, quod aliquod per se exhibitum per aliquam notitiam scientificam et pro quo interdum de facto verificatur sit contingens aliter se habere, et conceditur consequens, nec hoc derogat necessarie veritati notitie scientificae. Eque enim posset illud reduci contra ponentes complexe significabile esse per se scibile in universali, quia illud erit corruptibile, saltem secundum partes, et secundum intelligibilia, que continet partialiter, vel quod erit ex- [90a]-tra Deum intelligibile positivum actuale et actualiter positum necessarium et immutabile. Dicitur igitur secundum philosophos scientia esse de necessario, quia secundum eos impossibile est quin ita sit in re sicut sufficit ad veritatem illius quod etiam additur quod scitum possit aliquando non esse scitum stante scientia, et quod notitia aliqua sit aliquando

notitia scientifica alicuius obiecti et aliquando non, potest tripliciter intelligi. Primo, quia quod prius per se representabatur per notitiam scientificam ut obiective exhibitum et postea non cognoscatur, nec exhibeatur obiective per illam, et sic negatur. Alio modo quod per notitiam aliquam intellectus sit aliquando demonstrative sciens, et postea per eandem habitam non sit sciens, sed opinans vel dubitans vel errans, et sic negatur. Alio modo quod pro aliquo intelligibili verificetur nunc notitia scientifica et postea pro illo non verificetur, nec etiam pro illo falsificetur, sed pro alio equivalenti verificetur et sic conceditur illud specialiter de notitia scientifica per demonstrationem, cuius conclusio ad sui veritatem exigit constantiam rei importate per subiectum, quod etiam additur, quoniam non idem scirem hodie quod heri si intelligitur quod non eadem obiective exhibeantur per huiusmodi notitiam negatur. Si intelligitur quod pro aliis tamquam pro obiectis partialibus verificatur hodie et heri, et quod subiectum notitiae complexae scientificae vel propositionis ei conformis supponit pro aliis hodie et heri. Conceditur de conclusione demonstrata, cuius veritas exigit existentiam singularium rerum, pro quibus supponit subiectum, sed hoc non est scire aliud nisi improprie et per accidens. Accidit enim veritati illius quod verificetur pro his vel pro illis. Sed indifferenter exhibet hec et illa, et nata est verificari pro his, vel pro illis. Sed si conclusio demonstrationis esset scibilis per se scitum, ego et tu non sciremus idem formaliter, nec equivalenter, ex quo eius signum non esset obiective scitum, nec notitia foret scientifica quatenus est exhibitiva obiectorum extra. Sed tantum quatenus est ostensiva sui, conclusio autem mea et conclusio tua sunt omnino diverse, licet significatum extra sit idem. Ad nonum, quodlibet membrum potest dari cum debito et proprio intellectu, quodlibet enim intelligibile significabile complexae per aliquam singularem veram illius universalis conclusionis potest dici obiective scitum per se et immediate, quia per se et immediate exhibitum et pro ipso immediate verificatur vel verificabilis est illa notitia scientifica tamquam pro partiali significato et partiali causa veritatis, licet non necessario requisita sed veritas conclusionis exigit existentiam rerum singularium, et sic conceditur tertium membrum. Item, secundum membrum conceditur in hoc sensu, quia aggregatum collectivae ex omnibus intelligibilibus complexae significabilibus per omnes singulares veras illius universalis conclusionis potest dici per se obiective scitum per huiusmodi scientiam, tamquam per se obiective exhibitum pro quo adequate verificatur actu illa scientifica notitia. Potest etiam dari primum membrum, quia illud aggregatum collectivae est per se obiective scitum tamquam totale

et adequate exhibitum per illam notitiam, pro quo precise nata sit verificari illa notitia, immo pro quo, et pro cuiusquolibet necessario verificatur, si ponatur.

Ad primam, igitur, improbationem primi membri negatur consequentia, si enim veritas illius conclusionis universalis non exigit existentiam rei singularis pro qua verificetur eius una singularis, patet quod probatio non valet, si vero exigit adhuc scientia non est falsa, quia ad veritatem illius conclusionis sufficit quod quelibet singula- **[90b]** -ris propositio sit vera de re singulari existente, sicut ad veritatem istius ‘omne corpus movetur vel quiescit’, sufficit quod quodlibet corpus existens sit huiusmodi, nec ad eius veritatem exigitur quod quelibet singularis sit vera de quolibet individuo exhibitio et significato per illud universale.

Ad secundam, conceditur quod falsum est omnes triangulos collective simul sumptos habere tres angulos equales precise duobus rectis. Nec istud sequitur ex hoc quod illud aggregatum ponitur quasi obiectum totale, et adequatum verificativum illius notitie. Non enim attribuo hoc predicatum habere tres equales duobus rectis illi toti aggregato, quasi uni demonstrato per modum subiecti, sed ei attribuo esse scitum, et esse obiectum scientie modo exposito.

Ad tertiam, conceditur assumptum, et non est contra dicta.

Ad primam improbationem secundi membri et secundam et tertiam patet ex dictis.

Ad quartam, si conclusio illa verificatur etiam de triangulis non existentibus, patet quod non valet consequentia. Si vero verificatur tantum pro existentibus, sic dicendum est quamvis ille due propositiones convertantur, tamen non ita proprie demonstratio et scientia sunt respectu huius quod est omnem triangulum habere tres, et respectu huius quod est omnem triangulum existente habere tres, quia super sive sit illa additio, et quia videtur innui et pretendi unum falsum, scilicet quod illa notitia specifica determinetur sic ad triangulos nunc de facto existentes, quasi non sit nata verificari pro illis succedentibus post corruptionem ipsorum, quod est falsum.

Ad decimum, negatur minor.

Ad primam probationem, conceditur quod hec universalis predicatio est vera per se secundo modo. Omnis triangulus habet tres, et hec predicatum predicatur de illo subiecto

secundum quod ipsum *h. c. n.* locutio est de actu signatorum idem predicatum non predicatur primo, et secundum quod ipsum de aliquo inferiori ad triangulum, et tamen in ista enuntiatione que est de actu exercito, omnis triangulus habet tres res et subiectum supponit tantum pro rebus singularibus extra nec ista repugnant. Ad tertiam, negatur maior si illis rebus corruptis et variatis maneant, vel succedant alie res eodem modo exhibite obiective per illam notitiam universalem, et pro quibus eque, et eodem modo nata est verificari, sicut de ista omnis asinus actu vivit. Conceditur tamen quod veritas necessaria non verificatur per se, et primo pro re corruptibili, tamquam pro eo quod per se, et necessario requiritur ad eius veritatem. Nulla enim res corruptibilis requiritur, tamen requiritur interdum aliqui secundum opinionem philosophorum, et aliqua sufficit.

Ad tertiam, loquendo large et improprie de dependentia veritatis et evidentie secundum communem intellectum, negatur maior. Veritatem enim notitie dependere a rebus est ipsam verificari pro rebus, et natam causari et mensurari a rebus media e vel immediate et indigere existentia rerum ad sui veritatem. Evidentia autem scientie dicitur dependere ab aliquo, quia concluditur et infertur ex illo tamquam vero formaliter notiori ab alio, igitur dependet veritas notitie, et evidentia quia pro aliis rebus verificatur ab alio effective causatur per modum consequentis illati. Sed proprie loquendo et accipiendo dependere pro reali, et per se causalitate. Conceditur maior de vi vocis, quia veritas et evidentia notitie sunt idem realiter, et negatur minor veritas, enim huius notitie non causatur proprie a rebus extra, quia aliquis potest noviter formare notitiam quod omnis triangulus habet tres, licet nullus triangulus vel non omnis triangulus causet effective illam notitiam.

Ad quartam, negatur consequentia. Scientia enim qua scitur passio de suo primo subiecto nobilior est quam ea qua scitur de suo secundario subiecto, quia non convenit secundario subiecto secundum quod ipsum, immo habet propter quid est quesibile et demonstrabile per **[91a]** conclusionem in qua predicatur de suo primo subiecto. Si vero comparetur notitia qua scitur passio universalior de suo primo subiecto ad scientiam que scitur passio minus universalis de suo primo subiecto, adhuc consequens non est universaliter verum, licet enim quodam modo immediationis et propinquitatis notitia minus universalis sit propinquior et immediatior rebus extra significatis, tamen aliunde sortitur nobilitatem et prioritatem scientia universalior. Per eam enim plura sciuntur, et continet plurium scibilium scientias, et ab ea dependent plurium

scibilium scientie, et est etiam abstractior et immaterialior. Videtur tamen quod aliqua notitia minus universalis quedam magis universali nobilior est ut scientia de anima intellectiva, et de eius operationibus quam scientia de anima in communi, vel de qualitate in communi ceteris paribus. Est enim nobilissimum scibile illius universalis.

Ad quintam, negatur consequentia. Ad probationem, licet distinctius ostendat quedam quasi partes illius ostensi per notitiam universalem, tamen modus ostendendi repugnat notitie scientificae, quia notitia scientifica est demonstrativa per medium respiciens quidditatem abstrahendo a differentiis materialibus et accidentibus individuorum inferiorum et corruptibilium, nec predicatum scibile convenit per se huic individuo per illud quod est differens et dissimile alteri individuo.

Ad sextam, videtur esse contra omnes. Cum enim dicitur omnis triangulus habet tres, subiectum supponit pro singularibus triangulis et pro illis verificatur propositio, igitur quamlibet singularis esset causalis respectu universalis. Negatur igitur consequentia, non enim una propositio dicitur causalis respectu alterius, quia distinctius significet illud pro quo utraque vel illa altera verificatur, et quod est causa veritatis illius, quia hec propositio ‘ysocheles habet tres’ esset causalis respectu huius triangulus habet tres. Potest igitur dici quod quamvis hunc triangulum habere tres sit large loquendo causa quare hec singularis est vera, hic triangulus habet tres, et est consequenter causa partialis, quare hec universalis est vera ‘omnis triangulus habet tres’, non tamen sequitur quod hec propositio ‘hic triangulus habet tres’ sit causalis respectu huius triangulus habet tres. Aliquid enim potest esse causa duorum, quorum unum non est causa alterius universalis, igitur ideo dicitur causalis et propter quid respectu singularis, quia habere tres non convenit huic triangulo, secundum quod hic triangulus, sed secundum quod triangulus, etsi in hoc triangulo corresponderent distincta ex natura rei secundum quorum unum esset triangulus, et secundum alterum formaliter esset hic triangulus, habere tres conveniret ei primo per illud quo formaliter esset triangulus, non per illud quo formaliter esset hic singulariter triangulus. Ad argumentum in principio questionis patet ex dictis supra.

Questio quarta.

Quarto, circa easdem distinctiones, quero utrum a nobis viatoribus possit ratione naturali sufficienter probari Deum esse. Quod non, quia Deus non potest cognosci nisi per revelationem

Math. 11., “nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem, quis novit nisi Filius, et cui voluit Filius revelare”. Contra: Damascenus, libro primo, capitulo 1 et 3. Cognitio existendi Deum omnibus naturaliter incerta est, quia secundum Aristotelem ex primo Posteriorum et quarto Methaphysice, “disputanti et inquirenti primo supponendum est quid significet terminus, et que sit ratio termini, ideo primo assignanda est ratio secundum quam no- **[91b]** -men Dei accipitur in hac questione, et videtur quod ratio communior, in qua conveniunt inquirentes de Deo sit ens primum et summum in nobilitate et perfectione incausatum effective et finaliter. Unde Augustinus, primo De doctrina christiana, capitulo 4, “omnes pro excellentia Dei demicant, nec quisquam inveniri potest qui hoc Deum credat esse, quo est aliquid melius, ita quam hoc Deum esse omnes consentiunt, quod ceteris rebus anteponunt”, hec Augustinus. Quod autem sit incausatum intrinsece per negationem compositionis ex partibus intrinsecis non ponunt omnes concedentes Deum esse, ut in sequentibus ostendetur. Notandum quod per rationem seu probationem sufficientem in lumine naturali intelligo non solum demonstrationem evidentem, cui non potest probabiliter loquendo contradici, sed etiam ostensionem magis apparentem et magis probabilem et rationabilem in lumine naturali, quam sit ostensio vel defensio oppositi.

Primus articulus, an sufficienter ratione naturali possit probari aliquod ens esse eminentissimum et perfectissimum et nobilissimum. Secundum, an incausatum effective et finaliter.

Quoad primum, aliquod ens esse eminentissimum secundum perfectionem et nobilitatem potest intelligi tripliciter. Primo quod nihil est nobilius et perfectius. Secundo, quod est nobilius omni alio. Tertio esse universaliter et totaliter perfectum per carentiam et negationem cuiuscumque imperfectionis et ignobilitatis et per continentiam et habitudinem, seu affirmationem cuiuscumque perfectionis compossibilis enti non includentis, nec inferentis imperfectionem et ignobilitatem.

Prima conclusio: ratione naturali potest sufficienter probari aliquod ens esse eminentissimum secundum perfectionem et nobilitatem primo modo, scilicet per negationem eminentioris. Probatur per rationes Anselmi, Monologion, capitulo 4, “aliqua natura est quedam alia essentialiter eminentior, ut natura humana est nobilior quam natura asini, et natura asini prestantior est quam natura ligni”. Aut igitur illa natura non habet aliam essentialiter superiorem et eminentiorem, et habetur propositum, aut habet. Et de illa queritur an habeat aliam

essentialiter superiorem secundum gradum nobilitatis, et ita vel erit status ad aliquam sic eminentissimam. Aut erit processus in infinitum, ut omni natura sit alia nobilior essentialiter. Hoc autem nemo non putat absurdum, nisi qui nimis est absurdus, ut ait ibidem Anselmus.

Secunda conclusio, in lumine naturali tamquam probabilius ponendum est aliquod ens esse perfectissimum secundo modo, id est esse omni alio perfectius. Probatur: aliquod ens est sic perfectissimum quo non est simpliciter perfectius, aut igitur est dare aliud ens eque perfectum simpliciter, aut non. Si secundum, propositum. Si primum, ergo in universo sunt due nature et essentie eque prime secundum eminentiam et perfectionem, quod est inconueniens et superfluum, ut probabitur in questione sequenti, et quia secundum Aristotelem 12 Metaphysice, “ponere plura talia prima est contra ordinem et bonum, et connexionem universi entia autem non volunt male disponi non bonum aute pluralitas principatum, unus ergo princeps”.

Tertia conclusio: ratione naturali tamquam probabilius potest probari aliquod ens esse totaliter et universaliter perfectum per carentiam et negationem cuiuscumque imperfectionis, et per continentiam et habitudinem cuiuscumque quam perfectionis non includentis, nec inferentis imperfectionem, et ignobilitatem. Probatur ex duabus conclusionibus precedentibus. Primo, illud non esset perfectissimus angelus cui adesset aliqua imperfectio et ignobilitas possibilis non convenire nature angelice, et cui deesset aliqua perfectio compos- [92a] -sibilis nature angelice non includens, nec inferens imperfectionem secundum naturam angelicam, igitur proportionabiliter illud non est ens perfectissimum cui adest aliqua imperfectio possibilis alicui enti non convenire, et cui deest aliqua perfectio compossibilis enti, nec inferens imperfectionem secundum entitatem.

Preterea, sit *a* perfectio seu conditio perfectionis, quam dicis deesse enti primo et perfectissimo, tunc *a* conditio perfectionis est compossibilis enti, alioquin non esset perfectio, sed figmentum. Sed per te *a* non est compossibilis enti primo et perfectissimo, igitur enti secundo, igitur *a* per se et necessario includit vel infert imperfectionem in eo cui convenit, ex quo enim per se repugnat Deo, igitur infert negationem et carentiam summi gradus perfectionis, igitur infert imperfectionem in eo universaliter cui convenit et infert illud ens esse causatum et dependens et ordinatum ad aliud ut finem, gratia cuius est. Confirmatur: sequitur enim quod aliquod ens aliud a primo est simpliciter perfectius eo, aut saltem est nobilius et eminentius eo quod ad aliquam perfectionem et conditionem formalem et propriam et absolutam, quod videtur

inconveniens. Videtur enim irrationabile quod differentiarum seu conditionum essendi illa que est inferior et ignobilior attribuitur enti summo et eminentissimo et illa que est nobilior et superior negatur ab illo et attribuitur enti secundo. Iuxta hunc modum Anselmus, Monologion 15, videtur sic arguere, aut *a* in quolibet foret melius ipsum quam non ipsum, id est quam conditio opposita et repugnans, aut non. Si primum, igitur, ens secundum est melius ente primo et aliqua perfectio entis secundi est superior et prestantior perfectione formali et intrinseca primi entis. Si secundum, igitur in aliquo est melius non ipsum quam ipsum, igitur necessario infert imperfectionem, quia negationem conditionis opposite superioris et prestantioris in ente. Preterea, si differentia rationum et conditionum essendi per se nobilior attribuitur creature non Deo, sequitur quod nulla conditio nobilitatis et perfectionis reperte in creaturis potest cognosci et argui ex creaturis esse attribuenda Deo. Consequentia patet, quacumque tali data diceretur quod quamvis sit differentia et conditio superior et prestantior non ex hoc sequitur quin conveniat enti secundo, et opposita enti primo. Falsitas consequentis patet, quia tam philosophi quam catholici arguitive attribuunt Deo quasdam conditiones nobilitatis que reperiuntur in creaturis, nec per se inferunt imperfectionem. Patet 12 Metaphysice, arguitur esse vivens cognoscens actus etc. Patet etiam per Augustinum 15 De trinitate, 4 capitulo, “quia naturali ratione iudicamus preferenda esse viventia non viventibus, intellectiva non intelligentibus, immortalia mortalibus, bona malis, beata miseris etc., et Creatorem creaturis sine dubitatione preponimus, oportet ut ipsum summe vivere et intelligere et optimum et beatissimum esse fateamur”.

Item, Anselmus Monologion 15, et libro primo De trinitate, capitulo 21, “pene cuncti tam eruditi quam minus eruditi solent quasi pro regula tenere, scilicet quidquid optimum iudicant Deo attribuere sine dubitationis ambiguo. Est itaque cunctis in conclusione velut maxima propositio, et velut communis conceptio Deo attribuere quidquid altius attingit humana estimatio, et ex hoc velut solido veritatis fundamento, summi etiam magistri disputationis sue initium sumunt, cum de divinis proprietatibus altius differere intendunt”, hec ille.

Contra: nulla perfectio simpliciter convenit creature, igitur ex creaturis nulla perfectio attribuitur vel arguitur attribui Deo, ex eo quod reperitur esse in creatura tamquam conditio vel ratio essendi perfectior. Antecedens pro- **[92b]** -batur, quia quidquid convenit formaliter creature includit, vel infert imperfectionem, quia quidquid est formaliter in aliqua creatura est

causatum et dependens et possibile non esse, igitur est per se annexum imperfectioni necessario inferens imperfectionem, igitur si aliqua perfectio formaliter reperta in creaturis attribuitur Deo, sequitur quod Deo attribuitur perfectio inferens imperfectionem. Probatur iterum, quia nihil est formaliter in creatura quod in quolibet sit melius ipsum quam non ipsum. Nihil enim creatum est formaliter melius in Deo quam non ipsum sapientia etiam non est aliquid melius ipsi cani quam non ipsum, quia esse sapiens destruit essentiam canis, igitur non est melius cani vel in cane quam non ipsum. Confirmatur, nulla ratio perfectionis reperte formaliter in creaturis videtur ratio maioris perfectionis quam propria ratio substantialis supreme nature angelice, et tamen illa non est ratio perfectionis simpliciter, quia conveniret Deo. Confirmatur iterum: aut perfectio simpliciter non inferens imperfectionem attributa Deo ex creaturis est tantum res que est Deus, et sic nulla perfectio simpliciter reperitur in creatura, aut est tantum res que est creatura, et illa non convenit formaliter Deo, aut est commune et universale ad perfectionem que est Deus et perfectionem que est creatura. Et cum omne universale sit in anima vel factum ab anima, sequitur quod perfectio simpliciter includit vel infert in se et per se imperfectionem. Secundo, si ratio seu conditio perfectionis reperte in creatura attribuitur et arguitur attribuenda Deo circumscripta imperfectione, sequitur quod Deus posset informare materiam et dare esse album vel calidum, et posset substare accidentibus et esse causa formalis vel materialis. Probo, quia conditio perfectionis est in forma quod informat et actuat et perficit materiam, licet imperfectionis sit quod dependet a subiecto, circumscripta igitur dependentia Deus poterit actuare et perficere materiam, et communicare actum formalem. Similiter in albedine videtur esse conditio perfectionis quod dat esse album, et quod communicat actum formalem. Similiter, in substantia creata videtur esse conditio perfectionis quod sustentat accidens terminando eius dependentiam, licet imperfectio sit in substantia quod indiget perfici accidentibus, circumscripto igitur quod indigeat perfici Deus sustentabit accidens terminando dependentiam inherentie. Consequens est contra Magistrum libro primo, distinctione 8, capitulo 7. Similiter, causare causalitate formali videtur conditio perfectionis, et videtur esse quidam influxus causalis, et quedam continentia effectus. Omnis enim causa in eo quod est causa est prior et dignior causato ut causatum est, igitur ista attribuentur Deo circumscriptis rationibus imperfectionis. Si vero dicas quod ista non possunt separari in aliquo ente ab illis imperfectionibus, cum quibus reperiuntur in creatura, ita dicam quod quamvis in creatura sit perfectionis quod est sapiens vel activum vel calefactivum vel causa effectiva vel finalis, tamen hoc non potest attribui Deo, quia

non potest separari ab imperfectione cum qua reperitur in creatura. Tertio, ea que ex creaturis arguuntur attribui et convenire Deo tamquam propria ipsi Deo non sunt perfectionis simpliciter, igitur nec ea que arguuntur attribui Deo tamquam communia Deo, et entibus secundis. Antecedens probatur, quia esse creans vel causa efficiens primum et independentem et esse ultimus finis et esse dominus summus, ista possunt non convenire Deo, puta si creatura non sit, igitur non sunt perfectio simpliciter, alioquin ad remotionem creature removeretur a Deo aliqua perfectio simpliciter [93a]. Si enim Petrus non sit, Deus non est causa eius efficiens vel finis ultimus, nec Dominus eius, secundum Augustinum 12 De civitate Dei, capitulo 15, et libro 5 De trinitate, capitulo ultimo. Si autem esse actualiter Dominum summum, vel finem ultimum, vel causam effectivam hominis, non est perfectio simpliciter in Deo, igitur nec posse esse huiusmodi, quia actus perfectior est potentia. Aut non minus perfectus 9 Metaphysice. Confirmatur: non est perfectionis simpliciter esse trinum et unum, et spirare vel spirari et esse Patrem eternum et huiusmodi, quia non conveniunt cuilibet persone divine, et tamen sunt simpliciter propria Deo.

Quarto, si ratione naturali possit sufficienter probari Deum habere omnem perfectionem simpliciter, igitur omnis perfectio simpliciter potest naturali ratione sufficienter probari de Deo. Consequens est falsum, quia in lumine naturali possit sufficienter probari Deum esse infinite perfectionis et potentie secundum vigorem intensive, et quod est omnipotens ad creandum, et omnia libere statim destruendum, et ad reparandum et quod est ubique per presentiam et essentiam et potentiam, et quod cognoscit distincte et intuitive omnia preterita, presentia et futura et possibilia, et quod possit producere accidens sine subiecto, et quemlibet effectum sine causa. Secunda, hec autem sunt falsa, quia philosophi ista negaverunt, et quia sola fide nota sunt plura istorum. Consequentia ultima patet, quia ista sunt perfectiones simpliciter, maxime si sumantur secundum potentiam, et hoc habet concedere catholicus, igitur habet concedere quod ista possunt predicari sufficienter de Deo, si conclusio sit vera.

Ad primum, perfectio simpliciter dicitur tripliciter. Primo modo perfectio realis que caret omni imperfectione, nec est ei formaliter annexa imperfectio, et est simpliciter nobilior omni eo quod non est ipsa vel quod est impossibile sibi, et sic sola deitas est perfectio simpliciter, nec aliqua simpliciter perfectio formaliter inexistens creature est perfectio simpliciter, nisi quasi in potentia, et in similitudine in quantum quedam perfectiones creaturarum conveniunt formaliter

cum perfectione divina in aliquo communi, et sic conceditur argumentum et conclusio. Secundo modo, perfectio simpliciter accipitur pro conditione dicibili de ente, ex qua non sequitur imperfectio in ente cui convenit et attribuitur, immo infert imperfectionem in omni cui deest, et que etiam universaliter infert illud ens cui convenit esse simpliciter perfectius et nobilius omni ente cui non convenit, et sic tam philosophi quam catholici concedunt huiusmodi perfectiones attribui Deo formaliter, et sic esse substantiam vel esse vitam vel esse intellectum dicuntur perfectiones simpliciter, si omne huiusmodi sit simpliciter nobilius omni ente, non huiusmodi. Sic etiam esse creativum, vel primum effectivum secundum potentiam. Sed isto modo esse simplex ens vel indivisibile vel esse naturaliter ingenerabile et incorruptibile et eternum, vel esse ens spirituale vel inextensum, vel esse productivum caloris non dicuntur perfectiones simpliciter, quia materia que est ens simplex et est naturaliter ingenerabilis et incorruptibilis non est ens perfectius composito, nec accidens anime inextensum est ens nobilius substantia corporea. Nec calor productivus caloris est nobilior res simpliciter angelo, qui tamen non est calefactivus. Tertio modo pro conditione que attributa enti non inferi per se imperfectionem in ente, cui convenit sed infert illud esse imperfectum cui deest et non convenit, et licet non universaliter inferat illud cui convenit esse simpliciter perfectius ens omni eo cui non convenit, tamen universaliter infert illud cui convenit esse prestantius, saltem quoad hanc conditionem omni ente, cui non convenit huiusmodi conditio cui convenit conditio repugnans, et etiam infert illud cui convenit esse simpliciter prestantius eo cui non convenit ceteris paribus, et inferet illud cui non convenit fore prestantius si sibi conveniret ceteris pari- **[93b]** -bus, id est suppositis eisdem vel equalibus perfectionibus quoad ceteras conditiones, sicut omne vivum quatenus vivum est nobilius omni non vivo, quatenus non vivum, et per non vivum intelligatur quecumque conditio repugnans universaliter vite, et hoc modo videtur accipi ab Anselmo, Monologion 15, ubi de hoc exemplificans dicit quod “melius est esse sapiens quam non sapiens, quamvis enim iustus non sapiens videatur melior quam sapiens non iustus, tamen omne non sapiens in quantum non sapiens minus est quam sapiens, quia omne non sapiens melius esset, si esset sapiens ceteris paribus”. Sumendo igitur perfectionem simpliciter secundo, vel tertio modo, negatur antecedens. Ad probationem, licet quidquid est realiter et formaliter in creatura sit imperfectio vel includens imperfectionem, et per consequens non sit perfectio simpliciter primo modo, nec reperiatur formaliter in Deo, tamen aliqua conditio seu differentia essendi vere predicatur de creatura, que non infert per se imperfectionem in ente, cui attribuitur vel

significatur attribui. Quod etiam additur quod nihil in creatura est in quodlibet ipsum melius quam non ipsum, dicendum quod quamvis nulla entitas sit formaliter in aliqua creatura, que sit vel foret cuilibet enti melior quam non ipsa, id est quam entitas aliqua alia impossibilis secundum identitatem, tamen aliqua conditio vel differentia essendi est verificabilis de creatura, et pro creatura, que quodlibet cui convenit infert esse melius omni eo cui non convenit ipsa, sed conditio universaliter impossibilis. Vel omne cui convenit melius est quam si sibi non conveniret ceteris paribus, et omne cui non convenit, sed cui convenit conditio repugnans foret melius si sibi conveniret. Licet enim cani non sit absolute loquendo melius esse sapientem quam esse latrabilem, tamen melius et prestantius est enti esse sapientem, cui convenit esse sapientem, quam cani esse latrabilem. Ad confirmationem, illa propria ratio substantialis supreme nature angelice est ratio maioris perfectionis reperte in creatura quoad inferre perfectionem non quoad compati imperfectionem, quia ex nulla ratione convenienti creature infertur per se universaliter tanta perfectio in eo cui convenit, sicut ex rationibus propriis supremi angeli, sed illa compatitur, immo infert imperfectionem quam non inferunt quedam alie rationes, ut ratio entis et substantie et sapientie, ideo non est ratio perfectionis simpliciter. Ad aliam confirmationem. Perfectio simpliciter primo modo est terminus prime intentionis, et dicitur tantum de perfectione divina, sed secundo vel tertio modo est terminus secunde intentionis, quia est conditio vel differentia entis predicabilis de ente et que per modum predicati attribuitur enti, et illud predicabile interdum est proprium Deo, ut esse creativum et omnipotentem. Interdum est commune Deo et creature et predicatur personaliter, et significative de subiecto demonstrante Deum vel creaturam. Unde esse sapiens est terminus primae intentionis licet esse attributum sit terminus secunde intentionis. Ad secundum, negatur consequentia. Ad probationem, quedam attribuuntur creature, que satis notum est inferre pro se universaliter imperfectionem, et talia notum est attribui Deo. Quedam attribuuntur creature que notum satis est includere imperfectionem, et talia satis notum est non attribuenda Deo, sed quedam attributa creature dubium est an universaliter et per se inferant imperfectionem in eo cui attribuuntur, et an habeant per se necessario imperfectionem annexam, an possint separari ab omni imperfectione et de talibus, dubium est an sint attribuenda Deo, si vero sit dubium in lumine naturali, illa non inferre per se imperfectio- [94a] -nem, consequenter dubium est illa convenire Deo, et si in lumine fidei sit illud dubium, consequenter et istud. In lumine autem naturali videtur philosophis quedam attributa creature inferre necessario imperfectionem cuius oppositum habemus credere, ut Deum

intelligere distincte et intuitive omnia singularia et agere libere et contingenter extra se, et posse incarnari et multa huiusmodi. Ad propositum, quia apud aliquos informare et actuare materiam est conditio non per se universaliter inferens imperfectionem, ideo apud eos potest convenire Deo, sed dico quod hec conditio universaliter infert imperfectionem, licet non sit ita manifestum ante inquisitionem argumentativam, sicut de multis. Informare namque materiam infert esse partem totius, quod repugnat divine perfectioni, quia pars est imperfectior toto. Totum enim et perfectum idem 3 Physicorum, et primo libro Sententiarum distinctione 19, propter equalitatem magnitudinis et perfectionis personarum Magister negat in trinitate esse partem et totum.’

Item, Deus esse componibilis cum materia ad constitutionem totius, quod repugnat summe simplicitati et actualitati, ut patet primo libro, distinctione 8 et distinctione 19, capitulo 5.

Item, totum est causa finalis ipsius partis, et ita esse Dei esset gratia alterius ut finis, et multa huiusmodi possent argui. Cum igitur dicitur quod actuare, et perficere est perfectionis in forma, dicitur quod actuare et perficere non effective, sed formaliter, licet sit perfectionis secundum quid et in similitudine, tamen est simpliciter imperfectionis ratione huius quod dicitur formaliter, ideo Deus actuat et perficit effective non formaliter. Similiter, sustentare accidens et terminare eius dependentiam, licet sit perfectionis quoad conservare ipsum ne cadat in non esse, et quasi indigentie eius subvenire et ipsum adiuvere et tenere, et sic conveniat Deo cum manu tenet accidens sine subiecto, tamen subsistere per modum informabilis et perfectibilis implicat imperfectionem conformiter dicendum de aliis. Ad tertium, negatur antecedens accipiendo perfectionem simpliciter large et generaliter. Nam perfectio simpliciter potest primo accipi, proprie et stricte pro conditione et proprietate entis, et pro differentia essendi, que nullam infert imperfectionem in eo cui convenit et infert universaliter illud esse simpliciter perfectius, cui attribuitur eo cui non convenit et infert illud cui non convenit esse imperfectum et infert illud cui convenit esse perfectius quam si sibi non conveniret, et sic esse creativum et omnipotentem et primum effectivum, et ens substantiale spirituale sunt conditiones perfectionis simpliciter, non autem actualiter causare. Secundo modo, dicitur conditio seu differentia essendi, que nullam infert imperfectionem, et universaliter infert essentiam, cui convenit esse perfectiorem essentia, cui repugnat, et cui non convenit nec secundum actum, nec secundum potentiam et aptitudinem, et sic esse primum efficiens actu et causare actu independenter causalitate effectiva, vel finali

est perfectio simpliciter. Et cum arguitur quod ad remotionem creature deesset Deo aliqua perfectio simpliciter que prius inesset. Negatur consequentia, si intelligitur quod aliqua perfectio simpliciter formaliter prius inexistens Deo, postea desit Deo, quia si illa conditio et differentia essendi perfectionis simpliciter non verificetur, nunc de Deo dicta per modum actus, tamen verificatur de Deo per modum potentie. Ipsa autem dicta de Deo per modum potentie et dicta per modum actus dicit omnino eandem perfectionem simpliciter formaliter in-existentm Deo, sed dicta per modum actus dicit communicationem illius ad extra, et dicit seu concernit perfectionem extrinsecam per modum effectus, ideo si non verificatur per modum actus, licet tollatur quedam perfectio extrinseca, tamen ex parte Dei non tollitur aliqua perfe- [94b] -ctio formaliter intrinseca. Tertio modo, dicitur conditio et differentia que nullam includit vel infert imperfectionem et que infert universaliter omnem cui non convenit esse imperfectum et infert quod aliquod ens cui convenit est perfectius omni ente cui non convenit et quod omne cui non convenit est aliquo ente, cui convenit simpliciter inferius, et sic esse simplex eternum incorruptibile spirituale, indivisibile inextensum sunt rationes perfectionis simpliciter. Quarto modo large et improprie dicitur conditio et differentia predicabilis de ente, que nullam infert imperfectionem in eo cui convenit, et quamvis non inferat omne suppositum cui convenit esse perfectius omni supposito cui repugnat, nec inferat quod aliquid, cui convenit sit perfectius omni supposito cui non convenit, tamen infert omnem essentiam in qua non reperitur, et cui in se, vel in supposito non convenit esse imperfectam et infert aliquam essentiam cui in se vel secundum suppositum eius convenit esse simpliciter perfectionem omni essentia, cui non convenit et sic esse trinum et unum et spirare Spiritum Sanctum et generare Filium consubstantialem sunt perfectiones simpliciter. Nec est inconveniens perfectionem simpliciter dictam isto modo non convenire Patri, vel Filio in divinis, licet etsi non conveniat sibi suppositaliter, tamen sibi non repugnat, nec deest secundum essentiam vel suppositum coessentiale. Ex hoc patet ad confirmationem.

Ad quartum, negatur consequentia sumendo subiectum antecedentis personaliter et significative et distributive, sicut non sequitur. Certum et evidens est quod Deo convenit quidquid est Deo proprium, sed esse trinum et unum est Deo proprium, igitur certum et evidens est quod Deo convenit esse trinum et unum. Ad hoc enim ut valeat discursus requiritur quod sit certum hoc esse Deo proprium. Unde occasione huius additur.

Quarta conclusio: non omnis conditio nobilitatis et perfectionis simpliciter que veraciter requiritur ad esse ens perfectissimum et que veraciter infertur ex esse perfectissimo potest naturali ratione sufficienter probari de ente particulariter. Hec conclusio additur, quia oppositum huius possit alicui videri consequens ex precedenti conclusione. Et quia oppositum huius conclusionis videntur probare multe rationes doctorum, quibus nituntur probare precedentem, ideo ut ostendatur quod rationes eorum non valent, addita est quarta conclusio, que probatur, quia intelligere distincte et intuitive omnia preterita, presentia, et futura velle etiam libere et contingenter extra se et posse immediate totaliter causare quodcumque causabile et esse infinitum et immensum et omnipotentem et creativum, et multa huiusmodi sunt conditiones perfectionis simpliciter, ut habet concedere catholicus, et tamen non habet catholicus concedere, ista posse sufficienter probari de Deo in lumine rationum naturalium. Ex his patet illud dictum quorundam esse falsum, scilicet non evidenter demonstrari Deum esse, ex eo quod aliquod ens esse infinitum vel omnipotens etc. Non est evidenter demonstratum. Hoc inquam non valet, licet enim huiusmodi conditiones sint veraciter proprie enti, quod est Deus, tamen potest esse scitum Deum esse, licet ignotum sit has conditiones convenire Deo, quia non est evidenter notum in lumine naturali has conditiones convenire enti primo vel adesse primi requiri. Contra: sit *b* perfectio simpliciter quam dicis non posse sufficienter ratione naturali probari de Deo vel particulariter de ente. Contra: sufficienter probatur Deum esse ens universaliter et integraliter perfectum per continentiam omnis perfectionis simpliciter. Sed *b* est perfectio simpliciter, igitur potest sufficienter probari Deum habere *b*[95a]. Maior patet ex tertia conclusione, et minor conceditur a te catholico, licet non concederetur a Philosopho, igitur licet conclusio non esset concedenda a Philosopho, tamen est concedenda a te. Secundo, summe et perfectissime simplicitati et omnipotentie non repugnat esse, igitur est actu et ita arguatur de omni perfectione simpliciter, sicut de omni potentia. Consequentia patet, quia si non esset actu, licet posset esse esset ens causabile, et ita non perfectissimum. Antecedens probatur, tum quia summa simplicitas non includit plura impossibilia, sed omnis repugnantia ad esse est ratione plurium impossibilium, tum quia si non sit actu, immo si ei non convenit necesse esse, sequitur quod non est perfectissima, quia esse est quedam conditio perfectionis simpliciter, et posse non esse est conditio imperfectionis simpliciter. Tertio, in lumine naturali notum est esse illud possibile ex quo nullum sequitur impossibile, sed in lumine naturali potest cognosci nullum sequi impossibile ad Deum esse infinitum immensum, omnipotentem, creatorem etc., igitur. Minor

probat, quia omnis ratio probans et inferens ex illo impossibile est sophistica, ut tum catholicus habes concedere. Sed per artem logice potest haberi notitia sufficiens de defectu syllogismi apparentis et sofisticis. Alioquin ars logice de paralogismis et fallaciis est insufficienter tradita. Confirmatur, omnis talis syllogismus peccat in forma, vel in materia. Si primum ars logice inventa vel inventibilis sufficit ad cognoscendum talem defectum, quia similis defectus forme potest esse in variis syllogismis in alia materia. Si secundum, aut illa premissa apparet in lumine naturali esse falsa, et ita apparet interimenda aut apparet vera, aut igitur apparet vera ex terminis, et tunc perit omnis certitudo principiorum et propositionum immediatarum, et per se notarum, ex quo propositio falsa apparet ex terminis immediate esse vera, aut apparet vera tamquam conclusa ex aliis et de syllogismo illam inferente queritur ut prius an peccet in materia, vel in forma et ita tandem poterit in lumine naturali cognosci defectus syllogismi inferentis impossibile ex propositione prima.

Quarto, illud quo maius cogitari non potest est immensum infinitum, omnipotens habens certissimam et distinctissimam scientiam omnium etc. Sed aliquod ens puta Deus est quo maius cogitari non potest, igitur maior patet, quia si non sit infinitus sed finitus etc., igitur potest cogitari maius eo. Possumus enim cogitare aliquid esse tante potentie, ut sufficientissime possit quodlibet immediate producere et destruere et reparare etc., et omnia scire etc. Minor probatur: nihil enim maius Deo potest cogitari, immo Deus est aliquid maius quam cogitari possit ad nobis, hec est ratio Richardi primo libro De trinitate, 20 et 12, sed quia minor non videtur sufficienter probata in lumine naturali, ideo aliter probatur quod in re est actualiter quo maius cogitari non potest, quia quo maius cogitari non possit est in intellectu. Patet, quia dicendo illa verba audiens intelligit quid dicitur, et quid significatur. Aut igitur est in solo intellectu, aut est in intellectu et in re actualiter. Si secundum, propositum. Si primum, igitur maius eo cogitari potest. Probo, quia illud quod est in re est maius quam illud quod est solum in intellectu. Esse enim veraciter et actualiter in re est esse perfectiori modo quam esse solum in cogitatione, igitur quodlibet ens actualiter in re esset maius eo quo maius cogitari non potest, quod est contradictio. Hec ratio imponitur Anselmo Proslogion, capitulo 2. Sed contra istam probationem instatur in tractatu qui dicitur disputatio pro insipiente, quia per idem probaretur quod quecumque falsa indicata sunt ac- [95b] -ctualiter in re, ut si quis fingendo dicat mihi quandam insulam esse, que est ignota hominibus, et est ubertate omnium bonorum prepollens omnibus insulis, intelligo et cogito quid dicit, igitur talis insula habet esse in intellectu. Si autem in solo intellectu, igitur

quemlibet insula nota habet maius esse, igitur insula prestantior ceteris non est prestantior ceteris. Sed Anselmus in tractatu contra respondentem pro insipiente refellens hanc instantiam dicit circa finem illius tractatus quod ratio sua non procedit per modum probationis predictum, sed aliis modis variis in illo tractatu nititur probare quod in re actualiter est necessario illud quo maius cogitari non potest. Primo sic cum dico illud quo maius cogitari non potest audiens intelligit quid dicitur et quid significatur, igitur illud quo maius cogitari non potest est in intellectu, aut igitur est etiam in re, et propositum, aut in solo intellectu, sed quod est in solo intellectu potest cogitari esse in re et in intellectu, igitur potest cogitari maius, eo quod est in solo intellectu, igitur illud quo maius cogitari non potest et illud ipsum quo maius cogitari potest, et sequitur quod potest cogitari maius eo quo non potest maius cogitari, quod includit contradictionem. Confirmatur, eo quod non est vel quod potest non esse potest cogitari maius, sed per te quo maius cogitari non potest non est in re, et potest non esse, igitur eo quo maius cogitari non potest, maius cogitari potest. Maior patet, quia possum vere cogitare quod illud quod est et non potest non esse sit maius eo quod non est vel quod potest non esse. Iterum, quod non est in re potest cogitari non esse, sed quo maius cogitari non potest, non potest cogitari non esse, igitur falsum est quod non sit in re. Minor probatur, quia intellectus potest cogitare aliquid esse tale, quod ipsum non possit cogitari non esse, et tale potest cogitari esse maius eo quod potest cogitari non esse. Si igitur illud quo maius cogitari nequit potest cogitari non esse, sequitur quod eo potest cogitari maius quo maius cogitari non potest. Item, eo quod cogitatur et non est, etiam si esset, posset maius cogitari. Sed per te quo maius cogitari non potest cogitatur et non est, igitur si esset in re quo maius cogitari non posset, maius eo cogitari posset, quod est contradictio. Maior probatur, quia quidquid cogitatur et non est possit. Etiam si esset, cogitari esse non semper et ubique, sed esse alicubi tantum et aliquando, et habere principium et finem essendi, igitur posset cogitari esse maius eo per similes deductiones vult Anselmus in fine illius tractatus quod probari potest Deum esse summum bonum summe simplicem etc.

Ad primum, discursus non valet, nec sufficit assumere quod *b* sit perfectio simpliciter, sed quod sufficienter probetur esse perfectio simpliciter. Ad secundum, conceditur antecedens et consequens sumptum de inesse absolute. Sed si subintelligitur in antecedente quod sit in lumine naturali sufficienter notum, et probatum. Negatur antecedens. Ad probationem primam, per idem arguitur quod summa simplicitas albedinis vel quantitatis vel hominis irrationalis sit possibilis, et quod omnis ratio est in se vera in qua ponetur terminus summe simplicitatis, licet

igitur summa simplicitas non includat impossibilia, tamen quod summa simplicitas et omnipotentia non dicant quedam impossibilia non est notum in lumine naturali. Ad secundam probationem conceditur consequens apud loquentem in lumine naturali, quia perfectissimus asinus rationalis nihil est, nec est perfectissimus.

Ad tertium, per idem arguitur de omni vero credito. Si, igitur, maior intelligitur quod de omni vero, ex quo nullum sequitur impossibile notum est in lumine naturali. Illud esse possibile, negatur maior, quia ex creditis nullum veraciter, sequitur impossibile, et tamen non de omni credito est sufficienter notum in lumine naturali ipsum [96a] esse possibile. Ad veritatem illius maioris, igitur in isto sensu requiritur quod nec ex illo sequatur impossibile et quod in lumine naturali certum sit ex eo nullum sequi impossibile, et sic negaretur minor. Alius autem sensus maioris esset quod in lumine naturali certum est hoc esse verum, secundum illud est possibile ex quo nullum sequitur impossibile. Et sic conceditur maior, sed tunc discursus non valet. Si minor accipitur, sic ad Deum esse omnipotentem nullum sequitur impossibile. Si vero minor accipitur cum termino certitudinis. Negatur minor. Ad probationem. per artem logice non habetur, nec haberi potest universaliter notitia de syllogismo peccante in materia, licet possit cognosci defectus in forma. Ad confirmationem, licet omnis syllogismus inferens impossibile ex illo sit veraciter et vera solutione solubilis sive per artem logice, si peccet in forma sive per theologiam vel fidem, si peccet in materia, tamen ex hoc non habetur quod in lumine naturali sit certum ex illo non sequi impossibile, quia solutio non erit evidens in lumine naturali, nec erit certum in lumine naturali illam propositionem esse falsam qua per fidem est interimanda, nec est evidens illud consequens non esse impossibile quod secundum fidem dicitur non esse impossibile. Et cum arguitur quod vel illa premissa falsa apparet falsa ex terminis etc. Dicendum quod ultimate resolvendo possibile est quod apparebit ex terminis esse vera, scilicet apparentia probabili et dialectica in lumine naturali, tamen in lumine fidei apparebit neganda, quedam enim propositiones in naturali lumine sunt ex terminis certe et evidentes. Quedam autem apparentes ex terminis probabiliter et dialectice, nec potest in lumine naturali oppositum sufficienter ostendi, qui semper maneant magis apparentes quam contradictorie, licet secundum veritatem sint false, ideo non perit certitudo principiorum, quia sunt certa alio gradu et alio genere certitudinis. Item, quia ratio probare videtur quod omne simpliciter verum potest sufficienter probari in lumine naturali, quod tamen apud omnes philosophos est falsum, quia quedam sunt problemata quasi neutra. Ideo ad argumentum dicendum ulterius quod quamvis quilibet

syllogismus mihi factus divisim inferens impossibile sequi ex illa propositione sit mihi solubilis, ex hoc non est mihi evidens ex illo nullum sequi impossibile, quia ex hoc non est mihi certum, quin sit aliquod aliud argumentum insolubile inferens illud impossibile. Item, licet ex illa propositione non inferatur aliud magis apparens impossibile ex hoc non est mihi evidens, quin illa propositio sit impossibilis et quin ex ea sequatur impossibile quod est ipsamet, vel aliud non magis apparens possibile. Multa enim sunt impossibilia ex quibus non possumus deducere ad manifestius impossibile.

Ad quartum, per rationes Anselmi probaretur quod sit dare realiter in actu asinum quo maius cogitari non potest, quia asinus quo maius cogitari non potest non est in solo intellectu, ut ipse probat. Probaretur etiam quod in re sit triangulus vel numerus impar quo maior cogitari non potest. Per idem etiam probaretur quod plura sint in re quibus maius cogitari non potest, quia ea quibus maiora cogitari non possunt si sunt tantum in intellectu, igitur quibus maiora cogitari non possunt, sunt quibus maiora cogitari possent. Per idem etiam probaretur quod maius et melius Deo est in re actualiter, quia est in intellectu, audiens enim illam orationem intelligit quod audit. Si igitur est in solo intellectu et non in re, sequitur quod maius Deo non est maius Deo et ultra cum maius Deo sit in intellectu et Deus sit quo maius cogitari non potest, sequitur quod eo quo maius cogitari non potest, maius cogitari potest. Dicendum, igitur, quod hec propositio illud quo maius [96b] cogitari non potest, est in re actualiter habet triplicem sensum. Unus est aliquid existit in re et nullum obiectum cogitabile est vel esse potest veraciter maius eo et sic propositio est vera et potest ostendi in lumine naturali, quia sequitur ex prima conclusione. Ens enim perfectissimum quo non est, nec esse potest in re perfectius est isto modo illud quo maius cogitari non potest, sed ex hoc non habetur quod illud sit infinitum omnipotens etc. Immo, si illud esset Sol vel Saturnus ex quo non potest esse ens perfectius, sequitur quod esset illud quo maius cogitari non potest in isto intellectu. Licet cogites esse aliquid duplo vel triplo maius illo, et hunc sensum magis videtur habere propositio, quando li 'maius' preponitur termino cogitandi. Secundus sensus est iste: aliquid existit in re, et nullus intellectus potest absolute cogitare aliquid obiectum esse maius eo seu quod nullus intellectus potest habere cogitationem conformem huic orationi 'aliquid obiectum esse maius eo' seu quod nullus intellectus potest cogitare aliquid obiectum esse ad quod obiectum esse vel ad cuius cogitationis veritatem, sequeretur esse aliquid maius primo dato et sic est illa propositio falsa, quia in illo sensu potest cogitari maius Deo, et maius infinito et omnipotente. Patet de intellectu formante

hanc propositionem Deo est aliud maius. Et hunc sensum magis videtur habere propositio, quando li ‘maius’ ponitur post verbum cogitandi. Tertius, intellectus est iste illud existit in re quo sine implicatione contradictionis et sine implicatione rationis in se false non potest intellectus cogitare aliquid esse maius. Et sic est propositio vera et sequitur ex prima questionis huius conclusione. Sed sicut ex primo sensu, ita ex isto non sequitur illud esse infinitum et omnipotens. Dicta, igitur, Anselmi et eius rationes si valent, hoc est pro primo vel tertio sensu. Si vero rationes Anselmi applicentur ad secundum sensum, respondeo negando illam propositionem ‘aliquid quo maius cogitari non potest’ existit in re, immo etiam in illo sensu habet fidelis eam negare. Ad probationem, primo cum dicitur illud quo maius cogitari non potest est in intellectu, si per hanc propositionem significetur quod aliquod obiectum terminative intelligitur, et intellectus non potest cogitare aliquid esse maius eo, falsa est propositio, quia quocumque obiecto intelligibili dato intellectus potest cogitando dicere aliquid est maius eo et intellectus potest cogitare quod omni obiecto cogitabili est aliud maius cogitabile. Si vero predicta propositio significet quod intellectus potest habere cogitationem conformem et correspondentem huic orationi, illud quo maius cogitari non potest, sic conceditur. Sed hoc modo maius Deo omnipotente et omni cogitabili est in intellectu, et Deus finitus et ignorans impotens est in intellectu et obiectum non intelligibile est in intellectu. Et cum ultra queritur an existat in re actualiter, respondeo quod non, id est illi cogitationi non correspondet aliquod obiectum in re actualiter conforme illi existens de quo et pro quo sit verum quod intellectus non potest sic cogitare maius eo. Et cum ultra infertur, igitur illud quod existit in re est maius eo, negatur proprie loquendo, quia ens existens non est maius significato impossibili, tamen large et improprie loquendo, concedo quod omne ens est maius eo quo sic non potest cogitari maius, sicut quodlibet ens dicitur esse maius himera et figmenta, et sic procedit instantia de insula. Ad aliam reductionem Anselmi, non sequitur hec conclusio, igitur illud quo maius cogitari non potest est id ipsum quo maius cogitari potest, quia est propositio affirmativa que affirmat oppositum de oppositum, et quia ratio subiecti est ratio in se falsa, loquendo in secundo sensu supraposito, sed ex illa deductione sequitur quod possibile est iudicari illud quo maius esse non potest esse illud quo maius [97a] cogitari potest, et hoc est verum. Sic etiam est possibile intellectum nostrum cogitare, quod illud quo maius cogitari non potest est illud quo maius cogitari potest, et quod illud quod non potest cogitari possit cogitari, et econtra. Et cum infertur ulterius quod potest cogitari maius eo quo non potest maius cogitari quod videtur contradictio.

Dicendum quod si hec propositio sumatur ut equivaleret cuidam ipotetice copulative et ut implicite importat idem cum ista potest cogitari maius quodam intelligibili, et non potest cogitari maius illo intelligibili, sic negatur quia est copulativa composita ex partibus contradictionis. Si vero sumitur ut est categorica importans quod possibilis est cogitatio respondens huic false orationi. Aliquid cogitatur maius eo quo non potest maius cogitari, sic conceditur quod intellectus potest huiusmodi cogitationes falsas formare. Ad confirmationem, discursus non valet, quia minor est negativa in prima figura, et si reducatur ad formam affirmationis erit falsa, dicendo sic illud quo maius cogitari non potest est illud quod non est, nec potest esse. Unde, similis discursus est iste, eo quod non est vel potest non esse potest maius cogitari. Sed maius Deo et omni cogitabili non est vel potest non esse, igitur eo quod est maius Deo et omni cogitabili potest maius cogitari. Similis etiam discursus est iste quod non est vel potest non esse potest cogitari. Sed non cogitabile non est vel potest non esse, igitur non cogitabile potest cogitari. Ad aliud, licet formaliter discursus non valeat sicut nec istius quod non est in re potest cogitari, sed quod non est cogitabile non potest cogitari, igitur falsum est quod illud quod non est cogitabile non sit in re, vel sic quod non est in re potest cogitari, quia potest cogitari non esse. Sed maius omni cogitabili non potest cogitari, igitur falsum est quod maius omni cogitabili non sit in re, igitur contradictorium est verum, quod est falsum. Dicendum, igitur, quod si forma discursus valet sequitur hec conclusio negativa, igitur illud quo maius cogitari non potest non est aliquid quod non existat in re, et quod falsum est quod illud quo maius cogitari non potest sit aliquid, vel sit aliquod obiectum, quod non sit existens in re, et conceditur quod hec affirmatio implicat unum falsum, quidquid tamen sit de forma discursus. Minor est neganda, etiam ab ipso Anselmo, aliquis enim potest cogitare Deum non esse, quia potest formare propositiones contradictorias, et quia cum insipiens dicat in corde suo 'non est Deus', ipse corde cogitat Deum non esse, nec solum cogitat voces, sed forte nihil cogitat de vocibus, nec videtur sufficiens responsio Anselmi in illo tractatu contra respondentem pro insipiente, et Proslogion, capitulo 4. Ad probationem minoris, non sequitur illud consequens in hoc sensu quod aliquo cogitabili dato aliquod obiectum maius eo possit cogitari, et nullum obiectum maius eo possit cogitari, vel quod possibile sit cogitare esse aliquid maius eo, et non sit possibile cogitari maius eo, sed solum sequitur quod de illo ente vel obiecto, quod non est nec esse veraciter potest aliquid maius possibile est cogitare aliquid esse maius. Ad aliud conceditur conclusio que est conditionalis, cuius antecedens implicat contradictionem in secundo sensu supposito. Ideo inferitur

oppositum antecedentis. Discursus etiam non valet, nisi minor sumatur in tali forma in qua erit falsa. Et nota quod in discursibus Anselmi, videtur supponi quod aliquod obiectum intelligibile distinctum ab omni actu intelligendi importetur per hoc quod dico quo maius cogitari non potest, et quod de illo et pro illo verum sit quod intellectus non possit cogitare aliquid esse tale et tantum. Ad quod esse tale et tantum sequeretur ipsum esse maius priori dato, et hoc est falsum.

[97b]

Secundus articulus: an aliquod ens incausatum effective et finaliter esse possit et sufficienter ratione naturali probari.

Prima conclusio: sufficienter per rationem naturalem potest ostendi aliquod ens esse incausatum effective. Probatur: sit *a* causatum effective ab alio, aut illud aliud est incausatum effective et propositum aut causatum effective ab alio, et queram similiter de illo alio, igitur erit status ad aliquod incausatum effective, aut erit processus actualis in infinitum in multitudine entium nunc existentium, quorum unum erit ab alio sine statu quod est inconueniens. Dices: non sequitur infinita multitudo entium nunc existentium. Sed erit processus in infinitum secundum successionem in causis et causatis effective, ita quod omne nunc existens erit causatum effective, et aliquid nunc existens est causatum effective non ab aliquo nunc existente, sed ab aliquo iam corrupto, ut homo nunc vivens est genitus ab aliquo iam mortuo. Contra: talis successio infinita generabilium et corruptibilium non potest continuare perpetuo, nisi mediante aliqua natura durationis infinite et eterne, ut habetur 8 Physicorum circa medium, et hoc est probabile, quia talis perpetuitas successionis non perseverat, nisi mediante perpetuitate materie ex qua fiunt huiusmodi generabilia et corruptibilia. Talis etiam difformitas generationis et corruptionis non perpetuatur, nisi mediante aliquo permanente influente vel conservante, ut patet de corporibus celestibus. De tali, igitur, natura permanente queritur an sit incausata effective, et propositum aut causata effective et non nisi ab aliquo eterno permanente. Et de illo queritur, igitur erit status in aliquo eterno incausato effective vel erit actualis multitudo entium eternorum suppositorum, quorum alterum erit effective ab altero sine statu. Ex eisdem probatur quod in entibus est aliquod primum effectum non solum a nullo alio effectum. Sed nec in virtute alterius effectivi prioris effectivum.

Secunda conclusio: tamquam probabilius in lumine naturali ponendum est aliquod ens esse incausatum finaliter. Probatur: aliquod ens est eminentissimum quo nihil est perfectius, sed

ipsum omni alio est perfectius ex prima et secunda conclusione primi articuli, igitur aliquod ens est incausatum finaliter. Consequentia probatur, quia quod per se ordinatur ad alterum ut finem gratia cuius est inferius et ignobilius illo, aut saltem habet aliquid nobilius se ad quod ordinatur finaliter ultimate, patet inductive.

Tertia conclusio: quod est incausatum finaliter est incausatum effective. Probatur: quod est causatum effective est causatum finaliter. Probo, quia omne per se efficiens causat suum per se effectum propter aliquem finem et ad aliquem finem ordinat illum, alioquin frustra ageret. Et hoc dicit Aristoteles, 2 Physicorum, etiam de omni agente naturali de quo minus videtur, et quia de omni causa efficiente contingit rationabiliter querere propter quid causat talem effectum. Si vero per se effectus est gratia alicuius finis nobilioris multo magis effectus per accidens habet aliquid nobilius se ad quod natum est ordinari. Preterea, causalitas effective est posterior causalitate finali, vel est eadem sibi, igitur causatum effective est causatum finaliter. Antecedens probatur, quia omne per se agens agit propter finem, et finis videtur terminare questionem propter quid de causalitate effective. Notandum quod aliqui probant quod econverso, omne incausatum effective sit incausatum finaliter, eo quod causalitas effective et causalitas finalis sunt necessario connexe et concurrentes respectu omnis effectus. Causalitas enim finalis est in hoc quod propter ipsum, ut amatum et intentum efficiens efficit. Sed quoad principale quesitum sufficit conclusio posita etiam particulariter. Ex conclusionibus positis, sequitur quod est aliquod ens unum incausatum effective et finaliter eternum et necesse esse.

Quarta conclusio: quod est incausatum effective et finaliter est ens eminentissimum et nobilissimum. Probatur, quia si esset aliud essentialiter eminentius, igitur esset per se ordinabile ad illud aliud ut finem participandum et imitandum et aliquo modo attingendum, et ita esset aliquo modo causatum finaliter. Confirmatur: ens non capiens esse ab alio et independens ab alio, nec gratia alterius videtur nobilius eo quod non est huiusmodi. Ex his patet ad quesitum principale. Sufficiens enim tamquam probabilius probatur in lumine naturali Deum esse, id est aliquod ens esse eminentissimum, tam positive quam negative incausatum finaliter et effective. Et secundum hanc rationem accipietur nomine Dei in questionibus sequentibus. Ad argumentum principale, procedit de cognitione emanationis personarum, quare non est contra dicta.

Ultimo circa predictas distinctiones, quero utrum impossibile sit plures Deos esse. Quod non, 1 Corinthios, 8. Si quidem sunt dii multi et domini multi. Item, Pater et Filius et Spiritus Sanctus

sunt plures, aut igitur plures dii, et propositum, aut plures non dii. Contra primo: quia Pater esset non Deus, et Filius non Deus, et Spiritus Sanctus non Deus. Secundo, Pater est Deus, et Filius est Deus et iste Deus demonstrato Patre non est ille Deus demonstrato Filio, quia iste Pater non est ille Filius, igitur. Contra: Psalmus, “Magnus Dominus et laudabilis nimis etc.”. Et iterum, “Magnus es tu et faciens mirabilia, tu es Deus solus”. Et iterum in alio Psalmo, “Quem quis Deus preter Dominum, aut quis Deus preter Deum nostrum”. Confirmatur, Aristoteles 12 Metaphysice, probat quod non potest primum ens plurificari numero, quia non habet materiam. Notandum iuxta ratione nominis Dei positam in precedenti questione, intellectus questionis est iste, an impossibile sit esse plura essentialiter distincta, quorum quodlibet sit ens primum perfectissimum incausatum effective et finaliter. Quoad veritatem absolutam de unitate Dei, conclusio est certa quod est unicus Deus, et non plures Deuteronomo 6, “Audi Israel Dominus Deus tuus unus est”, et resumitur a Christo, Matheo 12 et Deuteronomo 32, “Videte quod ego sum solus et non sit alius Deus preter me”. Et in symbolo ‘Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, non tamen tres dii, sed unus est Deus’. Et infra, “tres deos dicere, aut Dominos catholica religione prohibemur”. Sed quia plures secte hominum colunt vel coluerunt pluralitatem deorum, philosophi et antiqui morales loquuntur frequenter de Deo nomine plurali, ideo videndum an ratione naturali possit sufficienter unitas Dei probari, et pluralitas deorum reprobari. Circa quod dicunt aliqui quod hoc potest naturaliter demonstrari. Alii vero dicunt hoc non posse sufficienter probari, et respondent nihil accipiendo in lumine naturali, nisi sit adeo evidens ut oppositum non sit probabile. Sed in proposito accipio probationem sufficientem, non solum evidentem demonstrationem cui non potest obviari loquendo probabiliter. Nam pauce conclusiones isto modo probatur a philosophis in scientiis. Sed etiam probationem magis apparentem et magis probabilem et rationalem in lumine naturali quam sit probatio vel defensio oppositi. Et sic respondendo ad quesitum sit. **[98b]**

Prima conclusio: in lumine naturali, tamquam probabilius et rationabilius ponendum est unicum Deum esse, non plures. Probatur illud magis est ponendum quod magis consonat unitati, et connexioni et consequenter bono universi. Sed ut dicitur 12 Metaphysice, “Qui ponunt prima principia multa, inconnexam universi substantiam faciunt”. Entia vero non volunt male disponi, nec bonum pluralitas principatum unus ergo princeps.

Preterea, illud non est ponendum quod destruit ordinem Universi, quia in hoc consistit bonum universi, 12 Methaphysice. Sed pluralitas deorum est huiusmodi. Probo: sint *a* et *b* duo dii, et due essentie simpliciter prime, tunc *a* nullum ordinem essentialem habet ad *b*, nec econtra, quia non habet ordinem dependentie, nec eminentie nec causalitatis cuiuscumque. Si nunc in entibus primis eternis et nobilissimis non est ordo, igitur non magis inconveniens est negare ordinem in ceteris. Confirmatur, unius universi unus est ordo unius ordinis, unum est primum, igitur unius universi unum est primum. Confirmatur, ascendendo secundum ordinem essentialem proceditur ad paucitatem, igitur tandem statur finaliter ad unitatem.

Preterea, sint *a* et *b* duo dii, aut *a* sufficit ut sit princeps universi, et sit prima causa et ultimus finis universi, aut non. Si primum, igitur frustra ponitur *b*, sit autem in natura non sit ponenda pluralitas sine necessitate maxime in entibus eternis et principalibus. Si secundum, contra: tum quia esset ens imperfectum et diminutum, cum non sufficeret terminare dependentiam entium secundorum et esse finis propter quem, et gratia cuius essent. Tum quia pari ratione duo non sufficerent, nec tria et sic sine statu. Confirmatur, aut illorum deorum primitas et causalitas et principatus est respectu eorundem posteriorum et causatorum, aut non, sed respectu diversorum. Si primum, igitur ut prius, aut alter superfluit, aut uterque est diminitus et insufficiens. Si secundum igitur non unum universum. Sed duo, quia duo prima et duo ordines entium et entis huius ordinis et illius non ordinabuntur invicem, nec ad idem primum. Confirmatur: maxime videretur propter bona et mala, ut secundum mala non reducerentur in Deum summum bonum, sed in alterum principium summum malum, iuxta opinionem Manicheorum. Sed hoc non valet primo, quia illud esset ens necesse esse et independens et incausabile, igitur spirituale et intelligibile et actus purus et summe simplex, que sunt conditiones nobilissime et in primo gradu, igitur non est summum malum naturaliter, immo esset summum ens et supremum ens. Secundo, quia Deus summum bonum potest bene ordinare mala, et eis bene uti vel ea permittere, non minus quam permittere illud summum malum, quod est rationabilius quam ponere alterum Deum summe malum, qui solum et quantum potest nititur in malum quod nec vincit nec vincitur a summo bono.

Secunda conclusio: in lumine naturali sufficienter ostenditur pluralitas deorum non esse possibilis. Hoc probant aliqui ex infinitate divine perfectionis vel potentie vel bonitatis vel intellectus et voluntatis vel ex omnipotentia, sed hoc est probare magis notum per minus notum.

Ideo, aliter persuadetur sic sint *a* et *b* duo dii, ut supra, aut igitur *a* et *b* duo dii sunt substantie eiusdem speciei specialissime, aut alterius. Si primum, igitur alter superfluit, quia quidquid possunt duo individua eiusdem rationis posset alterum, si esset perfectum. Et quia non esset per se impossibilis infinitas deorum, quidditas enim specifica plurificabilis numeraliter et individua suppositaliter et essentialiter distincta est quantum est [99a] de se plurificabilis in infinita, nec est ratio quare determinatur ad certum numerum. Si enim non est repugnantia esse duos soles, pari ratione nec tres. Si secundum, videtur quod altera sit nobilior essentialiter altera in quidditate et essentialibus proprietatibus. Illam autem que est preeminens, dico Deum non alteram.

Preterea, aut *a* intelligit *b* distincte intuitive et perfecte, aut non. Si secundum, igitur *a* est intellectus imperfectus, quia quoddam intelligibile summe perfectum, et summe nobilitans et felicitans intelligentem non intelligitur ab *a*, aut non nisi imperfecte, et cum *b* intelligat seipsum perfecte, sequitur quod *b* in intellectione cuiusdam obiecti perfectissimi et nobilissimi excedit *a* et ipsi *a* deest aliqua perfectio simpliciter. Si primum, igitur *a* non minus perficitur et nobilitatur et beatificatur secundum intellectum in obiecto extrinseco quam in seipso, igitur non sufficienter in seipso. Item, aut *a* per suam essentiam intelligit *b*, ita quod essentia ipsius *a* est ipsi *a* sufficiens medium, et ratio representativa ipsius *b* aut non, sed *a* accipit ab ipso *b* cognitionem ipsius *b*. Si primum, igitur *a* est obiectum perfectius quam *b*, aut *a* non cognoscit *b*, nisi imperfecte. Nullum enim obiectum videtur per suam essentiam esse sufficiens ratio cognoscendi formaliter perfecte aliquod obiectum, nisi contineat ipsum eminenter. Si secundum, igitur *a* secundum intellectum perficitur per ipsum *b*, et dependet ab eo ut a priori quoad perfectionem intellectus, ita quod neuter erit formaliter perfectus secundum intellectum. Preterea, aut *a* diligit *b* quantum *a* vel *b* diligit seipsum vel non. Si primum, contra: tum quia *a* habet naturaliter magis diligere suum esse quam esse alterius omnino distincti et extrinseci a quo non dependet, et cuius nihil est et ad quem nullum habet per se ordinem. Tum quia *a* beatificaretur in quodam obiecto extrinseco et ultimate perficeretur in ipso, et per ipsum, igitur esset inferius eo. Tum quia beatificaretur eque perfecte et ultimate in duobus obiectis disparatis, ut in finibus ultimis quorum altero circumscripto nihil minus esset beatus. Si secundum, igitur *a* non diligit *b* sicut et quantum *b* est diligibile, quia *b* est summum bonum et summe diligibile, nec erit ratio quare diligatur secundum talem vel talem gradum citra summum.

Confirmatur: aut *a* fruitur *b*, aut utitur *b*, quia si nullum voluntatis actum habet circa *b* esset imperfectum. Si primum, igitur beatificatur in illo, ut in fine ultimo et ordinat seipsum et omne aliud ad *b*. Si secundum, igitur, inordinate diligit *b*, quia *b* non est obiectum usibile et referibile, vel ordinabile ad aliud ut in finem, et quia econtra esset de *b* respectu *a*, igitur etc.

Dubium, an eiusdem causati possint esse due cause totales in eodem genere cause. Quod non, quia non posset improbari pluralitas deorum, et primarum causarum. Secundo, idem bis causaretur, quia duplici causatione quarum quelibet esset totalis et sufficiens, et sic altera superflueret, et pari ratione aliquid prius productum posset noviter produci productione sufficienti. Tertio, sequitur quod aliquid per se causaretur ab aliquo quo non causante et quo remoto, et nullo alio apposito, loco eius et supplente vicem eius, nihilominus causaretur, et consequenter aliquid dependeret essentialiter ab aliquo, quo circumscripto nihilominus esset quod videtur impossibile, quia sic perit via arguendi et cognoscendi causalitatem et dependentiam alicuius ab aliquo. Confirmatur: *a* in tali genere cause terminat totaliter et sufficienter dependentiam ipsius *c*, igitur *c* non indiget alio secundum idem genus cause, igitur non per se dependet ab alio in eodem genere cause, quod enim per se dependet ab aliquo indiget eo, igitur *a* non sufficien- [99b] -ter terminat eius dependentiam. Contra: sit *b* stupa nata comburi ab *a* igne circumscripto omni alio igne nata esset etiam sufficienter comburi ab *e*, alio igne circumscripto *a*, igitur illius combustionis nate sunt esse due cause, quarum quelibet est totalis. Confirmatur: si duo activa equalia ponerentur a Deo in eodem situ, causarent in passo illum effectum quem alterum per se causaret, si subiectum foret in pura privatione, quia quodlibet activum causaret effectum in gradu sibi equali. Secundo, quod eiusdem possunt esse due cause totales tam effective, quam finales, quia aliquis potest velle ire ad forum, tam causa emendi quam causa videndi amicum, et qualibet causa per se sufficeret aliis circumscriptis, et ita quodlibet vel nullum velle est totalis causa effectiva illius vie et quilibet finis predictus est totalis et sufficiens causa finalis illius vie. Tertio, quod due cause, quarum quelibet per se esset totalis et sufficiens non plus causant quam altera sola. Probatur: sit *a* luminosum et *b* opacum faciens *c* umbram in lumine ipsius *a*. Tunc, si *b* opacum consumeretur continue per horam, *c* umbra consumeretur continue totaliter per horam, et si *b* opaco permanente *a* luminosum continue per horam, sic augmentaretur vel sic per horam continue moveretur donec esset perpendiculariter super *b* opacum, adhuc *c* umbra consumeretur continue totaliter per horam, et si iste due vel tres

cause simul concurrant secundum consumptio ipsius *b* opaci et appropinquatio vel augmentatio ipsius *a* luminosi, per horam non consumetur *c* umbra citra finem horem.

Quarto, non magis impossibile est eiusdem causati esse duas causas totales quam eiusdem causati esse duas causas, quarum una sit totalis, et altera partialis in eodem genere cause. Patet, quia idem inconueniens inferretur, secundum quod aliquid per se causaretur ab aliquo quo circumscripto, nihilominus causaretur. Sed illud assumptum est possibile. Probo, quia idem effectus potest produci a Deo et creatura a qui sufficienter esset a Deo solo causante, circumscripta causa particulari, ut si Deus statuatur quod si in tempore *g* approximetur ignis ipsi *b* stupe, Deus concausabit igni ad comburendum *b*, et si ignis tunc non approximetur, nihilominus Deus comburet *b*, tunc presente igne tempore *g*, essent illius combustionis due per se cause effective, quarum altera circumscripta nihilominus poneretur effectus per aliam non variatam nec factam perfectiorem, alioquin esset formalis mutatio et varietas ex parte Dei. Respondeo: causa totalis ipsius *b* causati potest uno modo dici causa qua sola in tali genere causandi posita poneretur, vel poni posset *b* causatum, et qua non posita non poneretur, nec poni posset et sic eiusdem causati non possunt esse simul due cause totales, nec possibile est esse duo entia, quorum quodlibet natum sit esse totalis causa eiusdem causati in eodem genere cause. Secundo modo, potest dici causa a qua sola dependet *b* causatum in tali genere causandi, et sic est impossibile esse eiusdem causati simul plures causas totales. Patet ex significatione terminorum, et sic Deus non est causa totalis illius effectus ad quem concurrat cum causa particulari. Sed hic sensus non concludit qui possibile sit esse duo entia, quorum quodlibet divisim posset esse totalis causa eiusdem causati. Tertio modo, causa totalis alicuius causati diceretur causa qua posita poneretur vel poni possit tale causatum circumscripta omni alia in tali ordine causandi. Et sic est dubium, an possibile sit idem causatum causari actu simul a duabus causis secundis particularibus totalibus in eodem genere cause, loquendo enim de causa totali ut continet et aggregat omnes causas per se ordinatas ad talem effectum [100a] non est possibile eiusdem esse plures causas totales totaliter distinctas in genere causalitatis effective vel finalis, quia Deus est causa requisita.

Dubium etiam est an isto tertio modo possibile sit esse duo entia secunda, quorum quodlibet esset seorsum sufficiens et totalis causa particularis eiusdem causati numero. Et dicunt aliqui quod non est hoc possibile naturaliter, secundum quod idem calor vel radius qui producitur ab

hoc igne vel sole possit naturaliter produci ab alio activo eiusdem rationis, si tunc fuisset presens eidem passivo, sed causasset alium effectum eiusdem rationis. Probatur, quia alicui activo naturali repugnat producere idem causatum, quod natum esset produci ab alio activo eiusdem rationis in idem passivum, igitur et cuilibet pari ratione. Antecedens probatur, quia *a* visibile causat nunc *b* visionem in isto visu. Aliud autem visibile eiusdem rationis non esset natum producere *b* visionem. Probo, quia *b* visio est propria distincta et individualis cognitio ipsius *a* tantum, unum autem visibile presens visui non est natum causare visionem propriam alterius visibilis absentis vel corrupti, quia pari ratione cuiuslibet. In oppositum, quia secundum doctrinam sanctorum, et videtur haberi ex dictis Anselmi primo Cur Deus homo, capitulo 18, “si Adam non peccasset illi soli, qui nunc sunt electi fuisset iidem nati, et non illi qui nunc sunt reprobis”. Sed nunc sunt multi electi qui sunt geniti a parentibus reprobis, ergo iidem fuissent geniti ex aliis parentibus. Respondeo, in lumine naturali videtur potius ponenda negativa pars. Omnes enim cause per se ordinate tam particulares, quam universales nunc concurrentes collective et coniuncti secundum philosophos ponerentur determinate ad hoc individuum numero causandum pro nunc. Sed secundum veritatem potest probabiliter concedi pars affirmativa, probo. Quero enim unde hoc activum naturale presens nunc huic passivo determinatur ad hunc effectum numero. Si a prima causa, igitur Deus libere poterat determinare ad alium effectum et concurrere. Si a seipso. Contra, quia cum nihil intelligat et indifferenter se habeat ad infinita similia non videtur determinari, nisi per primum agens, et quia Deus non posset nunc concurrere soli ad aliud lumen quam ad illud numero ad quod nunc concurrat, quia sol non esset natus causare nunc, nisi illud idem numero. Ratio in oppositum non valet, quia non est simile de effectibus, qui sunt determinata et propria representatio sue cause et obiecti cogniti vel voliti et de aliis effectibus, qui post causationem in facto esse non habetur magis ordinem et respectum ad hoc activum quam ad quodcumque aliud eiusdem rationis. Tenendo autem partem negativam ad rationem in contrarium dicitur quod non fuissent geniti iidem nati secundum corpora, licet anime fuissent eodem. Sed an possibile esse nunc actu simul duas causas particulares totales, sic quod quacumque illarum remota ceteris paribus, altera nihilominus sufficeret ad ponendum effectum, potest dici quod loquendo de causis per se et immediatis non est possibile naturaliter quod idem effectus numero poneretur equalis et equaliter. Sed poneretur perfectior effectus vel in minori mensura, quia alia erit proportio potentie active ad passivam. Et cum arguitur de eunte ad forum propter duas causas, non tamen eunti velocius quam si esset

una illarum tantum. Dicunt aliqui quod talis habet duo velle et non causatur idem imperium motus ab ambobus simul quod causaretur ab altero tantum, aut qui causatur ab huiusmodi imperio non est per se aliquis effectus, quia non est nisi translatior et alia et alia positio mobilis in vario sit, potest dici quod ille motus euntis ad forum non causatur per se et immediate a volitione emen- **[100b]** -di vel videndi. Sed a volitione eundi et sive ille priores volitiones intenderentur sive remitteretur non ex hoc remitteretur vel intenderetur proportionabiliter motus, nisi secundum differentiam volitionis, que est respectu motus. Et si huiusmodi motus causaretur per se et immediate ab illis volitionibus vehementior esset motus ab illis pluribus quam ab una illarum tantum ceteris paribus, nisi voluntas per aliud velle impediret et temperaret. Dices: ex illis pluribus volitionibus respectu emendi et videndi causabitur perfectior volitio eundi, igitur perfectior motus exterior. Respondeo, conceditur si voluntas esse causa naturalis, sed quamvis sint plures volitiones precedentes volitionem eundi, tamen voluntas ex sua libertate temperat et determinat volitionem eundi. Secundum tantum vel tantum gradum velocitatis, ideo sequitur velocitas motus exterioris secundum quam voluntas determinat se ad maiorem vel minorem velocitatem exteriorem obiectivam. Ad aliud de consumptione umbre per horam, dicendum quod non uniformiter, nec uniformi velocitate consumeretur umbra. Si altera illarum causarum tantum concurreret sic dum concurrunt due, patet quia quando concurrunt due, tunc in quolibet instanti hore illius plus est ablatum de umbra quam si non concurrisset nisi una, licet non prius esset totaliter consumpta, si concurrunt due quam si concurreret una. Ratio istorum est: dum ei concurrunt, due sit in principio hore velocior consumptio umbre quam si altera, tantum causa adesset. Sed circa finem hore fit tardior consumptio quam fieret eadem parte temporis, si non foret nisi altera causa, quia circa principium hore ille due cause se adiuvant et est minus de impedimento et resistantia. Sed postmodum a certo instante incipit maior resistantia quam pro eodem tempore foret si a principio fuisset tantum altera causa, unde proprie non sunt ibi due cause effective eiusdem effectus, sed duo modi auferendi resistantiam et impedimentum ex interpositione opaci inter luminosum et diaphanum determinatum. Ad quartum, si intelligit de causis secundis, negatur minor si accipiatur de causa prima, negatur maior, quamvis igitur possibile sit eiusdem causati esse duas causas totales particulares in eodem ordine et genere cause particularis, non tamen est sic possibile de duabus primis causis, quia non est sic superfluum de causis particularibus, licet enim *a* causa particularis efectiva sufficiat in tali genere cause producere *c* sine *b* causa particulari et econverso *b* sine *a* non ex hoc sequitur *a* vel

b esse superflue in universo, si enim *a* et *b* sunt alterius rationis *a* potest in aliquod in quod non potest *b* et *a* requiritur ad aliquod causabile ad quod non requirit *b*. Item, *a* et *b* simul iuncta interdum possunt in aliquem effectum in quem non posset *a* tantum vel *b* tantum vel possunt in aliquem effectum perfectiorem. Item *a* et *b* non sunt, nec influunt ubique et per consequens *a* per sui presentiam potest alicubi in aliquem effectum in quem non potest *b* propter sui absentiam. Ideo, non superfluit in universo esse *a* et *b*, sed non sic de duabus primis causis totalibus. Si enim *a* et *b* eque sunt prime cause universales et totales, igitur *a* non potest in aliquem effectum in quem non eque posset *b* per sui presentiam et influentiam et econtra. Item, aut *a* et *b* simul concurrentia possunt in aliquem effectum in quem non potest alterum tantum sine altero vel in effectum perfectiorem, aut non. Si secundum, igitur omnino superfluum et irrationale est ponere utrumque ex quo ambo simul concurrentia nihil omnino possunt plusquam alterum solum. Si primum, igitur cum utrumque ponitur causa prima et universalis sequitur quod nullus effectus eque perfectus producetur ab altera sola, sicut ab ambobus simul, igitur neutra est causa totalis et sufficiens, sed utraque est diminuta et insufficiens, quia in ratione prime causalitatis se habent in causando, sicut duo homines in trahendo navem convenientius, igitur est ponere unicum primum in ratione prime causalitatis sufficiens quam ponere duo prima propter utriusque imperfectionem.